DISSERTATIO

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

A. D. V CAL. MARTIAS A. MDCCCXLVI

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

G. KAEMMERER, DR. PHIL., MUN. SCHOL. SUP. CAND., SEM. REG. PAEDAG. SOD.

A. REICHE, STUD. PHIL. ET SEM. REG. PHILOL. NUPER SOD.

M. SPECK, STUD. PHIL. ET SEM. REG. PHILOL. NUPER SOD.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS TAGMANN

SILESIUS.

VRATISLAVIAE

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

MANIBUS

FR. AUG. EDUARDI TAGMANN

DILECTISSIMI FRATRIS

HAS LITERARUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE ANIMOQUE GRATISSIMO

CONSECRAVIT

AUCTOR.

Quidquid ex TE *amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis* TUORUM.

INTROITUS.

Opera C. Corn. Taciti, historicorum Romanorum facile principis, omni tempore maximi aestimata sunt magnaque eorum tum ad historiam tum ad philologiam gravitas est indubia. Sine ira enim et studio res tradens, nunquam privatis consiliis ducitur; acutissimo ingenio intima animi secreta perspiciens, rerum, ex quibus actiones pendent, veluti loci, temporis, habita semper ratione, mores naturamque hominum praeclarissime explicat; denique quascunque res ille narrat, eundem semper veritatis amorem praebet totaque ejus in describendo ratio est singularis. Nec minus stilus ejus diligentissimo dignus est studio. Tempora enim quum ad formandum stilum in universum magnam semper vim habeant, argenteae aetatis sermo ab aureae maxime differt. Leges linguae illa aetate negliguntur et violantur, aut certe latius extenduntur; priores dicendi regulae nova ratione adhibentur; propriae dictiones quaeruntur; ad significandas rationes praepositiones pro simplicibus casibus introducuntur. Quem suae aetatis cultum Tacitus excepit; sed quod ab illa vanitate, qua moti scriptores expolitam levitatem sermonis atque elegantiam consectantur, alienus est et oratione animos ad rem ipsam tantum advertere et capere studet, stilus ejus propria insignitus est specie. Quum igitur omnia Taciti scripta digna sint, quae accuratissimo studio amplectamur, tum libellus de Germania, de quo hac commentatione acturi sumus, etiam singularibus de causis animos nostros occupat. Nam dum antiquissimi de Germania nuntii a Graecis et Romanis, veluti a Vellejo et Dione Cassio, per occasionem tantum relati sunt et hic illic sparsi inveniuntur, dum solus Julius Caesar in commentariis nonnulla de Germanis accuratius narrat, Taciti libello de Germania, quo praeclarissime majorum nostrorum terra, mores atque instituta describuntur et singulae gentes, quatenus differant, recensentur, haec subsidiorum penuria expletur, et novissimo tempore pretium hujus libelli denuo agnitum est, quum in septentrionalibus Europae regionibus nova ad pristina Germanorum instituta cognoscenda parata sint subsidia, quibus

Taciti descriptio confirmatur. Itaque procul dubio unusquisque optaverit, ut hic libellus, ad contextum quod attinet, quam purissimus et emendatissimus traditus nobis sit. Sed res ita non habet; immo ars critica in diversas in eo vacillat partis et maxime fluctuat. Longum enim per tempus pauci tantum codd. Mss. edd.que vett., e quibus scriptoris verba restituerentur, noti erant iique sat negligenter collati; sed ne nostra quidem aetate, qua et numerus fontium crescebat et major in his comparandis diligentia adhibebatur, res ad finem est perducta. Nam quae cuique lectio maxime placeret, ab editoribus recepta est; quin etiam conjecturae minime necessariae in contextum illatae sunt. Qui vero ad codicum edd. que vett. fidem libellum constituere voluerunt, tam linguae leges, imprimis Tacitini sermonis usum, quam nexum, qui est inter codices et inter edd. vett. ipsas, harumque originem parum intelligentes quorundam librorum auctoritati nimium tribuerunt et propterea multis locis non veras receperunt lectiones; alii etiam historiae ignoratione inducti sunt in errores. Fundamento igitur satis firmo ars critica in hoc libello adhuc carebat; quapropter hac commentatione ad contextum constituendum symbolas quasdam dare consilium cepi. Antea vero artis criticae in nostro libello factitatae, ut status ejus, qui nunc est, recte intelligatur, historiam, gravissimis quibusque allatis et recensitis, mihi liceat paucis praemittere, ex qua, quam vere illa in universum dicta sint, facile cognoscetur. Nec tamen a **Beato Rhenano** et **Justo Lipsio**, principibus illis Taciti operum criticis, incipiam, quia, ad aetatem quod attinet, eorum editiones in veterum edd. numero referendae sunt et, quum maximi mihi videatur momenti esse cognoscere, quibus libris scriptis vel editis illi usi sint, singularem hac de re quaestionem facere constitui, ne ejusmodi dictiones, quales etiam in recentissima Gerlachii editione inveniuntur, ut c. 40: ex quo fonte Rhenani conjectura *in eo* hausta sit, equidem nescio., et c. 43: haud dubie Rhenanus *regnantur* e codicibus edidit., in posterum denuo repetantur. Transeamus igitur statim ad eum virum, cujus notis ductum in multis se profecisse, in quibusdam sententiam mutasse Lipsius ipse in allocutione novissima editionis Taciti ingenue fatetur, ad **Curtium Pichenam**.

Prodierunt hae Pichenae notae primum Florentiae, tum Hannoverae 1604, 8.; sed jam anno 1607 ipsam Taciti operum editionem hic vir doctus Francofurti apud Claud. Marnium, 4. in lucem emisit. Ad restituendum Germaniae contextum tamen nulla alia ei praesto erant subsidia, quam editio Puteolani Veneta a. 1497 et ed. Bononiensis. [1]) Ex quibus etsi nonnullas lectiones,

---

[1]) Cf. ed. Gruteri, Francof. 1607, 8., p. 381, ubi haec verba leguntur Pichenae: Huc (sc. ad duos codd. Florent. Ann. et Hist. continentes)

quae minus probandae sunt, recepit, ut c. 30 *coonerant*, etsi aliis locis priorum conjecturas retinuit, ut c. Lips. c. 20 *validique*, c. 29 *limite aucto*, tamen multis priores mutationes rejecit, ut c. 38 *Sic* ante: *In aliis* et c. 40 *dicatum* pro: *dicatumque*, et omnino sana semper mente ductus nec turbulenter agens libello nostro multum profuit, ut non immerito ejus contextus longum per tempus pro accuratissimo atque emendatissimo habitus sit. Multo minus praestiterunt sequentes editores: **Gruterus, Berneggerus, Boxhornius**, quorum primus, receptis nonnullis Pichenae emendationibus, Lipsii contextum sequitur, posteriore autem parte collectas multorum virorum doctorum ad Germaniam adnotationes communicat, alter editionem Pichenae repetiit, paucis auctore Joan. Freinshemio genero mutatis, tertius hujus contextum vulgavit cum observationibus pretii paene nullius. Sequebantur deinceps edd. **J. Fr. Gronovii**, Amstelod. ap. Elvezir. 1672 et 1673, voll. II, 8., **Theod. Ryckii**, Lugd. Batav. 1687, 12., et **Jac. Gronovii**, Traject. Bat. 1721, voll. II, 4. Ex quibus J. Fr. Gronovius non modo doctissimi cujusque viri, ut *Mureti*, *Acidalii*, in Germaniam commentariis libellum illustravit, sed etiam ipse aliis locis scripturam Berneggerianam emendavit, alios bene explicavit; minor ejus filio laus debetur, qui, ad Germaniam quod attinet, aliorum tantum judicia repetiit, nec praeterea ullum fere hujus editionis pretium esset, nisi **Abrah. Gronovius**, Jacobi filius, qui hanc editionem post patris obitum in lucem emisit, codicis Arundeliani et ed. vet. cujusdam divulgasset excerpta; Ryckius autem nullas ad Germaniam adnotationes dedit. Tum **Gabriel Broterius** in ed. sua, quae Paris. 1771, voll. IV, 4. prodiit, [2]) collationem quatuor codd. Vaticanorum (1518, 1862, 2964, 4498) a se institutam promulgavit. Sed ea ipsa collatio docet parum diligentiae in excutiendis Vaticanis Broterium impendisse, quum permultis locis nihil enotatum sit, aliis non accurate lectiones excerptae videantur. Omnino Broterius raro subtile judicium praebet et plerumque **Ernestium** sequitur, qui anno 1752 Lipsiae Taciti opera primum ediderat, a. 1772 autem iterum curavit, ut lectionum a Broterio prolatarum et ipse rationem jam habere posset. Praeterea Ernestius codicis Turicensis variantes lectio-

---

accessit *liber Venetiis excusus a. 1497 mendosus quidem eoque fidelior, qui mihi non parvo usui fuit*; tum adnot. Lipsii ad c. 2, ubi legimus: Pichena repperit *in ed. veteri Bon.*: ac nūc T., tunc G., sicuti eas, quas Jac. Gronov. in ed. affert, Pichenae notas. Num forte in ed. ipsa, quam nullibi invenire potui, alia etiam subsidia Pichena afferat, nescio.

[2]) Pro hac Broterii ed. jam a Passovio frustra quaesita, in cujus notis et emendationibus adnexis collatio continetur, quum ne mihi quidem ad manus esset, editionem Barkeri inscriptam: The Germany and Agricola of C. Corn. Tacitus *from Brotier's text, with all his observations, notes and emendations*, Ed. II, Lond. 1818 adhibui.

nes a *Breitingero* missas accepit, et primus quam plurimas edd. vett.: Spir., Nor. (apud eum cod. Kappii), Kath., certe initio, Put. Mediol. et Ven., Rhag., Alc., Rhen., Ald., Gryph., Junt., Lips., comparavit. Itaque, quanquam non satis diligenter id negotium exsecutus est, editione ejus non parvam libello nostro provenisse utilitatem unusquisque facile judicabit. Et sane hic vir clarissimus recensionem Gronovii bene nonnullis locis emendavit, plerumque etiam de priorum sententiis recte disseruit, haud dubie vero plus praestitisset, nisi discrimen, quod est inter sermonem aureae et argenteae aetatis, parum cognovisset ideoque multa corrigenda censuisset, quae genuina sunt. [3]) Habes autem in hac ed. praeter integras J. Lipsii et J. Fr. Gronovii notas etiam *Nic. Heinsii* additas, qui et ipse non paucis locis, ut multi priorum commentatorum, ex arbitrio et perperam mutat. Denuo hanc Ernestii editionem imprimendam curavit Lips., a. 1801, voll. II, 8. notisque auxit **Oberlinus**. Merita ejus de constituendo Germaniae contextu haud magna sunt: correctiones Ernestii partim hic rejecit, partim retinuit, alias, quas ille tantum proposuerat, sicuti nonnullas Bipontinorum (cf. statim infra) conjecturas recepit; haec tamen opera ejus agnosci debet, quod editiones, quae praesto ei erant, Nor., Rom., Rhag., Alc., certe duas priores paullo accuratius contulit de iisque copiosius disseruit. Neque aliquanto major, ad Germaniam quod attinet, laus debetur **Imm. Bekkero**, qui tertium Lips. a. 1831 editionem Ernestii curavit: nullos Germaniae codd. habuit; ipse rarissime aliquid adnotat, quanquam nonnulla, quae Oberlini negligentia libellum deformaverant, emendavit; sed etiam, quae nova ad illud tempus usque (cf. infra) innotuerant, subsidia in ejus editione desideraremus, nisi juvenis quidam, invito eo, ut ipse in praef. dicit, ea adjunxisset. Quae vero editio ante Oberlinianam prodiit, **Bipontina**, a. 1779 et 80, voll. IV, 8. e recens. *Christ. Crollii*, et post ejus obitum a. 1792, voll. IV, 8. cura *Fr. Chr. Exteri* generi et *Joan. Val. Embseri*, haec non magni aestimanda est, quum aliorum suasve conjecturas saepius omni veritatis specie carentes vel lectiones libris parum confirmatas in contextum editores temere reciperent. [4]) Melius de libello nostro meritus est

---

[3]) Veluti Ern. c. 3 *affirmare* probat pro: *confirmare*, et *argumentis* suspectum habet; c. 11 Gronovii conjecturam *ut turba placuit* meliorem vulgato judicat et Tacitum sic scripsisse arbitratur; c. 12 pro: *qui — reddunt* vult: *qui — reddant*; c. 34 Tacitum dedisse putat: *Obstitit Oceanus — inquirenti*, non *inquiri*; c. 44 *otiosae armatorum manus — lasciviunt* pro: *otiosa etc.* recepit; c. 46 *Caeterum connubiis* ei placet et praeterea *mixti* legendum videtur.

[4]) C. 2 ex. gr. legunt: *in nomen gentis* pro: *non gent.*, c. 4 *propterea* pro: *propriam* c. Arund., c. 7 *exsugere* c. eod. cod. pro: *exigere*; c. 15 *non* ante: *multum venatibus* omittunt, in quo Oberl. sequitur, et ex

Paul. Dan. Longolius, qui ipse quidem editionem non vulgavit, cujus tamen adnotationes continuas *Joan. Kappius* in editione Lips. a. 1788 in lucem emissa (et a *Phil. Car. Hessio* a. 1824 ibid. iterum curata, sed aucta et emendata) publici juris fecit. Non raro enim bene de variis lectionibus disserit; praeterea duo codd.: Hummel. et Longol., et editio Rhag. praesto ei fuere, ex quibus lectionis varietatem enotavit, quanquam ne is quidem satis diligenter in eo negotio versatus est, ut jam *Hummelius*, codicis illius possessor, lectiones quasdam ab eo praetermissas publicaret. [5]) Nullus igitur virorum doctorum sat religiose adhuc subsidia excusserat, immo plerique plus justo ingeniis suis indulserant eoque Taciti opera ediderant lectu quidem facillima, ab ipsius tamen auctoris manu maxime aliena, quum ad recensenda Taciti scripta Oberl. accederet, cujus ingenium non aptum erat ad promovendam in sermone Tacitino criticam, ut plurima novo editori essent relicta.

Tunc exstitit, ut de minoribus quibusdam Germaniae editionibus hic taceam, **Passovius**, qui in editione sua, Vratisl. 1817, collectis omnibus, quae adhuc nota erant, subsidiis et collatis pluribus edd. vett., Put. Ven., Mon., Vienn., Nor., Rhen., Ald., Lips., quantum fieri potuit, a corruptelarum labe, conjecturis pravisque lectionibus ejectis, contextum repurgare et ad priscos fontes referre studebat. Hic igitur vir doctus fundamentum quoddam artis criticae in Germania exercendae primus jecit, et, quum ipse plerumque subtili ingenio singulos locos tractaverit, ejus editione libello nostro non parva allata est utilitas. Saepius sane in restituendo contextu nimis anxius erat, ut corruptos haud dubie locos contortis explicationibus tueretur, interdum etiam ex receptis ab eo lectionibus ne eum quidem cognoscimus Tacitini sermonis usum nexumque fontium satis intellexisse, [6]) attamen optime de Germania eum meritum esse nemo non concedet. Qui posteaquam initium sanae criticae fecit, mox alii sequebantur, qui aut symbolis quibusdam aut novis edd. ad restituendum Germaniae contextum aliquantum contulerunt. Ita **Orellius** in *Symbolis criticis et philologicis in C. Corn. Taciti Germaniam* (Turici 1819) collatio-

---

verbis: *ac viritim* fecere *auctarium*; c. 31 pro *visu nova* legunt *v. torva*, quod pariter Oberl. retinuit, c. 38 *innoxia* pro: *innoxiae* et, *sed* transpositis vv.: *adit. bella* praemisso, *ut host. ocul. ornentur* pro *ut h. o., ornantur*, c. 45 *illuc usque it fama: vera tantum nat.* pro: *ill. usq. (et f. v.) t. n.*

[5]) Cf. Pass. praef. p. IX, ubi Hummelii supplementa ex ejus biblioth. librorum rarorum rariorumque, Norimb. 1776 I, 2 p. 212 sq. exscripta sunt.

[6]) Cf. c. 1 *Arnobae*, c. 12 *pro modo poenarum*, c. 39 *retro sequuntur*, tum c. 1, ubi lectionem: *donec — erumpat* contra usum Taciti esse dicit, sicuti c. 14 *convictus* et c. 26 *per vices* etc. e Put. ed., c. 11 *ut jussu* et c. 19 *septae* ex Arund.

nem codicis Tur. et ed. Kath. accuratius a se institutam promulgavit nonnullisque locis sagaciter verba explicavit; **Thierschius** porro varias lectiones ex ed. Spir. diligentius excerptas in *Actis philol. Monac.* T. III, fasc. 3, p. 459 publicavit. [7]) Mox **Diltheius** (Brunsv. 1823, 8.), **Hessius** (cf. p. 5, in.), **Altenburgius** (Hildburgh. 1825, 8.), **Güntherus** (Helmst. 1826, 8.) integras Germaniae edd. curaverunt et, quanquam novis subsidiis criticis non erant instructi, tamen bonam in hoc libello operam partim explicando, partim emendando collocaverunt, Passovii recensionem pro fundamento habentes. *Hessius*, vir diligentissimus, praeterea tribus in commentationibus inscriptis: *Variae lectiones et observationes in Taciti Germaniam* (Helmst. 1827, 1828 et 1834) varietatem lectionis ex codd. duobus multisque edd. vett. partim a se, partim ab aliis excerptam communicavit, et quidem in prima ex cod. Stuttg. secd. Seebod. et edd. Par., Rhen. min., Alc. et Rhen. a. 1533, in altera ex cod. Stuttg. secd. Moser. et edd. Viteberg. et Melanchth., in tertia ex cod. Vindob. s. Schubart. et edd. Nor., Rom., Mon., Rhag., Riv., Vienn., Junt., Frob. s. l. et a., Lips. Schum., Argent., in hac quidem tantum ad c. 27 usque. Nec quae additae sunt in libellum observationes, pretio carent, quum multum in iis boni sit collectum. Interim et **Walchius** editionem Germaniae curavit, Berol. 1829, in qua tamen sola verba scriptoris ipsa et translata continente ex arbitrio pluris locos mutavit, [8]) quamobrem etiam **U. J. H. Becker**, conrector gymn. Ratzeburg., eum reprehendit in libello Hannov. a. 1830 impresso, cujus titulus est: *Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania cap. I–XVIII*, in quoque ille vir doctus observationes publici juris fecit minime quidem plane contemnendas, propriarum tamen opinionum plenas. Eodem tempore **Sellingius** novam codicis Hummel. collationem adnexam programmati, quod inscribitur: *Observationes criticae in C. Corn. Tac. Germ.* Augustae Vindel. in lucem emisit, qua usus **Joan. Gruberus** in editione (Berol. 1832) alias saepe lectiones recepit, quam quae in prioribus edd. inveniuntur. Commentarius hujus ed. bonas sententias multas continet, in nonnullis tamen vir egregius nimium illi codici tribuit. Contra **Kiesslingius**, qui eodem anno Lipsiae opu-

---

[7]) Gerlachius quidem in praef. ed., p. XIV affert et codicis Longol. varietatem a Thierschio in eodem opere enotatsm esse; sed nullo alio loco ea de re aliquid allatum inveni, in iis autem, qui mihi ad manus erant, illius operis tomis I—III haec collatio non inest.

[8]) Cf. c. 2 *adventu* pro: *adventibus* c. Par., ut c. 42 *porrigitur*, c. 3 *Barritum* pro: *Bardit.*, c. 4 *nullis aliarum nat. conn.* pro: *nullis aliis aliar. n. c.*, c. 28 *Ne Ubi quidem* pro: *Ne Ubii qu.*, c. 40 *Hertham* pro: *Nerthum.*

sculum nostrum edidit, Bekkeri potissimum contextum sequitur et, quanquam in examinandis lectionibus suo ipsius ubique judicio usus est, falsas non raro lectiones recipit, numero magis librorum vett. quam pretio ductus; in universum tamen ex copiis adhuc notis delectum fecit haud ineptum. Novam omnium Taciti operum editionem Halis Sax. annis 1831—33, voll. IV, **Waltherus** vulgavit, qui varietatem lectionis ex edd. Spir., Put. Med. et Ven., Beroald., Alc., Rhen., Ald., Gryph., Lips., aliis denuo et accuratissime enotatam profert, [9]) summaque diligentia omnes ab aliis jam excerptas codicum et edd. vett. lectiones tradit. Subtili quidem ingenio multis locis judicavit, sed in recipiendis lectionibus modo hos, modo illos libros sequitur et, dum saepius nimis tenax est scripturarum fontibus traditarum, quam ob causam explicationes ejus non raro contortiores sunt conjecturis, quibus pauca mutantur, tamen hic illic vel plurimorum vel etiam omnium librorum auctoritatem spernit. Omnino accurata ei deest sermonis Tacitini cognitio et saepissime, quod attinet ad grammaticam, in erroribus versatur. [10]) Waltheri recensionem plerumque sequitur **Rupertius**, qui et ipse omnia Taciti opera voll. IV edidit, cujusque meritum id est, quod, quidquid priores edd. et singulares libelli ad Tacitum pertinentes complectuntur boni, diligentissime collegit atque uberrimos indices tum ad res tum ad orationem Taciti spectantes composuit. Quae ex suo ipsius ingenio protulit, minoris momenti sunt. Subsidia critica variantibus quibusdam ex edd. Spir. et Vienn. excerptis, quas *Seebodius* cum eo communicaverat, Rupert. amplificavit. Nec plus ad criticam **Bachii** denique editio valet Lips. 1834 et 35 duobus voll. 8. publicata; interdum tantum scripturae quaedam codicum Vind. et Ven. enotantur, quos in Passovii usum transscriptos inspiciendi potestas ab hoc concessa illi erat; plus operae in explicatione impendit et laudanda ejus dissertatio est

---

[9]) Id ex praef. ejus ad tom. I, p. XXIII sqq. intelligimus; nam etiam singulares Germaniae codd. et edd. vett. praesto ei fuerint, dubium est, quum volumen IV, in quo de codd. et edd. vett. minorum Taciti operum se disserturum in praef. l. l. p. XXII et XXXVI promiserat, post ejus obitum ab Ecksteinio, viro doctissimo, editum sit; in ed. ipsa nihil ea de re affert.

[10]) Veluti c. 14 *adaequare,* c. 29 *numeraverim,* c. 45 *formusque* ex codd. Stuttg., Humm. (Long.) et edd. Nor., Rom., Par., contra c. 14 *hostes* (quanquam c. 31 *frontes* non respicit), c. 41 *passim et sine cust.*, c. 45 *sonum insuper audiri* et *gignit* ex Ms. Tur. et edd. Spir., Kath., Put., Mon. etc. recepit. — C. 12 *pro modo poenarum,* c. 38 *retro sequuntur,* c. 39 *habitantur* defendit; c. 13 autem *Tum eum in ipso conc.* c. cod. Arund. et edd. Spir., Kath., Put., Ber. sqq., c. 35 *id pretium virt. ac vir. praecipuum arg.* c. solo Vat. 1518 legit, porro Lipsii conjecturas c. 22 *loci* et c. 44 *ministrant* probat; denique cf. 5, quae de dativo ad verbum *porrigere* ponendo c. 42 dicit.

de stilo Taciti conscripta alterique volumini praemissa, quae, etsi necessariis doctrinae postulationibus minime ea satisfactum est, multum tamen boni continet.

Is erat criticae in libello nostro status novissimo etiam tempore. Multi multa adhuc praestiterunt, sed multa etiam praestanda reliquerunt. De codicum edd.que vett. indole ac pretio singuli singula et in universum quidem protulerunt nec raro in diversas de iisdem libris sententias abierunt;[11]) de ratione autem, quae est inter codd. et edd. vett., nullus certam sententiam et argumentis firmatam habuit. Quam ob rem editores in restituendo contextu in diversas saepius partis discedunt eademque lectio, prout cuique placet, modo defenditur, modo rejicitur. Solus *Gruberus* modo ác ratione in edendo libello egit et primus stemma quoddam Germaniae codicum edd.que vett. constituere est conatus. Cujus sententia omnes codd. ex uno neque ita plane praestanti exemplari originem traxerunt, quod tamen non magis vetustatem tulerit, quam

---

[11]) *Ern.* ed. Spir. dicit e libro scripto bono ductam esse; Put., ex cujus exemplari Venetiis a. 1497 impresso edd. Riv. et Ber. repetitae sint, editione Spir. uiti, adhibitis Mss.; singularium vero Germaniae edd. Kath. cum Spir., cujus vitia omnia servet, plane consentire, Nor. autem ope non uno in loco Germaniam correctiorem se reddidisse. *Oberl.* addidit Nor. cum Rom. in multis, non semper discrepare. *Pass.* tum affirmavit Arund. pronum semper esse in deteriora, interdum autem certissimam afferre salutem; Farn. optimae notae esse, Humm. non spernendum, Long. ex ed. Nor. descriptum nullius fere pretii, Tur. optimis (cf. in textu diversum Gruberi et Bach. de hoc cod. judicium) libris accensendum. Ex edd. vett. Mon. ex Put. expressam, quotiens ab ea recederet, peccare; longe meliorem esse Nor., quae, ut Par. et Vienn. nunc c. Nor., nunc c. Put., saepius c. Arund., rarius c. Bamb. consentiens et proprias interdum lectiones exhibens, e bonis codd. fluxisset a quaque Rom. rarissime dissentiret. Huc adjecit *Orell.* Tur. c. ed. Kath. mire consentire, alterum tamen librum ex altero non esse expressum. Nonnullas deinde symbolas *Hess.* in tribus illis commentatt. dedit. Veluti Stuttg. deterioris quidem notae esse censet, sed, quum interdum optimas lectiones praebeat, non spernendum; Vind. in deterioribus habendum cum ed. Spir. (quam ubique cum Kath. conspirare negat) fere consentire cum eaque ex eodem fonte esse ductum; Nor., quacum Par. ita congruat, ut una ex altera fluxisse videatur, ex quaque Rom. satis mendose expressa sit, praestantissimam omnium vocat. Ex Put. repetitam esse Riv., sicuti ex Mon. Rhagianam et Vienn., cujus editor hic illic ex ingenio emendaverit; ex Ber. editionem Alc. satis bonas lectiones repraesentantem et mendosius Junt., ex edd. Rhen. et Lips. emendatissime Argent. esse exscriptas; cum ed. Rhen. min. denique Frob. s. l. et a. et Lips. Schum. fere congruere. *Walth.* autem instar codicis habendam esse statuit ed. Spir.; hujus plane dissimilem esse ed. Put. M. non Puteolani studio factam, ex qua Put. V. repetita sit; Put. editionem sequi Rivium et Beroaldum, qui tamen saepissime ex ed. Spir. scripturam emendaverit cujusque editio expressa sit in ed. Alc. multis tamen locis diversa; textum Alc. denuo Rhenanum recognovisse et aliqua ex parte ex ingenio emendasse. *Rupert.* id unum addidit Long. saepius ab ed. Nor. discrepare et Vaticanos glossis scatere.

exempla duarum familiarum, quae codd. nobis traditis et edd. vett. pro fundamento fuerint. Optimus ei codex est Humm., quem proxime Stuttg. sequatur ex alio quidem, sed haud valde diverso fonte ductus et postea ad illud, ex quo Humm. descriptus sit, exemplum correctus. Ex edd. vett. Parisinam et Nor. in hac priore familia refert. Alteram familiam codice Turic., qui saepius lectiones plane inanis praebeat, et edd. Spir., Put. et Vienn. effici putat, nisi quod edd., imprimis Vienn. ab editore saepissime correcta, in priorem familiam interdum transeant. Utri tamen familiae codd. Farn., Arund., Bamb., quatuor Vatt. accensendi sint, nescit; denique edd. Bonon. et Rhag. nullis Mss. niti ei videntur. Qua in expositione, ut in nonnullis aliorum editorum de priscis fontibus judiciis, etsi veri quid inest, tamen de aliis libris solis edocemur, de aliis deserimur, quum ex illorum librorum lectionibus adhuc enotatis originem et nexum intelligere liceret; Longolianum vero plane vir doctus neglexit.[12]) *Bachius* Gruberum secutus id tantum obiter addidit, Stuttgardiensi propius accedere Venetum, ut Turicensi longius remoto Vindobonensem. Quod judicium partim verum, partim falsum est, omnino autem argumentis sententiae erant confirmandae.

Tum clarior lux huic rei allata videbatur, quum a. 1835 Basileae nova ed. a **Gerlachio** emissa est. In hac enim ille non modo novam codicis Stuttg. et editionum Bonon. ab *Orellio* sibi transmissae et Put. collationem a se institutam publicavit, verum etiam varietatem lectionis communicavit ex undecim aliis codd. enotatam, quam *Massmanno*, viro clarissimo, et *Panizzio*, bibliothecae Oxoniensis praefecto, debet. Quorum hic codicis Harlejani lectiones maxime notabiles ad eum transmisit, ille autem delectum ei concessit varietatis, quam ex novem codd. Italicis: Farnes., quinque Vatt., Flor., Ang., Ven., adhuc ignotis aut negligenter collatis et Monac. cod. nondum comparato excerpserat. Sed ne Gerlach. quidem, quomodo codd. et edd. arctius inter se cohaereant, accuratius demonstravit; immo rationem magis etiam eo conturbavit, quod codicem Mon. saeculo X attribuit, ut antiquissimum nos codicem habere putaremus, quam opinionem Gerlachii levitate excitatam vanam esse **Massmannus** in commentariis, qui inscribuntur: *Jahrbücher für wissenschaftl. Kritik*, num. 87 mens. Novbr. a. 1841 aperte dicit. Alia mira sententia ductus ad

[12]) Respicere Gruberus et potuit et debuit Vaticanorum lectiones c. 1 *erumput*, c. 2 *quidam ut in*, c. 30 *onerant*, al., et. si ad Longol. animum intendisset, c. 11 *injussi* et c. 42 *Trudi*, quae in Vd. quoque occurrunt, porro Neap. s. Farn. lectionem c. 40 *Langoburdos nobilitat*. Codicum Arund. et Bamb. ratio denique primo aspectu perspicua est; de illo certe ad c. 19 init. aliquid adnotat.

hunc codicem proxime editionem Mon. accedere affirmat. Inter deteriores libros Farnesianum, Ang., Vat. b., Harl., Flor. refert, qui idem exemplum secuti sint; ex Vatt., quorum nulli magna fides tribuenda sit, deterrimum videri Vb.; Va. et Vc. vero plus habere auctoritatis, quam Vd. et Ve.; inter reliquos codd. Veneto maximam cum Turic. intercedere similitudinem, sicuti cum edd. Spir. et Bon., inter quas ipsas et edd. Put. et Kath. haud dubie arctior quaedam cognatio sit, ita tamen, ut nulla cum reliquis plane consentiat, et maxime quidem Puteolanum a priorum auctoritate recessisse, raro illas emendasse, saepius corrupisse. Edd. Par. et Nor., quae tam similes inter se sint, ut alteram ex altera expressam esse non immerito suspicatus sit Hessius, [13]) et edd. Vienn., Mon., Rhag. quo ex fonte fluxerint, profitetur nondum satis exploratum esse; duas priores partim cum Humm., partim cum Stuttg. consentire; perversas tamen scripturas multas iis proprias esse, quae utrum ingenio editorum an incuriae typothetarum sint tribuendae, incertum sit; ceteras a codd. Mss. longius recedere. Quod de vett. fontibus judicium si accuratius consideraveris, vera cum falsis mixta intelliges. Quum novem, quos supra attuli, codicibus auctoritatem Gerlach. deroget, in ipso autem commentario p. 56 Venetum et Tur. innumeris locis errare dicat et fidem codicum Arund. (cf. p. 19) atque (ut secd. p. 40 videtur) Bamb. incertam judicet, codd. Humm., Stuttg., Long., Mon., Vind. optimos videtur habere; qui alii enim libri restant? Nihilominus Grub. propterea notandum censet, quod Humm. ad eandem cum Stuttg. familiam retulerit, et in adnotationibus modo hos, modo illos codd. optimos vocat. Saepius sane factum est, ut veras lectiones, nonnunquam etiam primus, restitueret; sed, num certa de fontibus sententia semper ea in re ductus sit, dubito, quod tum multas etiam alias scripturas rejecisset neque interdum lectiones recepisset minimae auctoritatis. Per se autem perspicuum est, falsa de Monac. cod., quem tamen et ipsum partim spernit, opinione in errores incidisse. Praeterea dum alias in lectionibus haud dubie corruptis perseverat, alias ex arbitrio sine idonea causa mutat nec magis, quam priores editores ad locos quosdam animum advertit accurate examinandos. Quae vero singulis locis judicia ille facit, ea minime omnia sunt probanda. [14]) Videmus igitur ne hac qui-

---

[13]) In comment. I, p. V; falso Gerlach. Passovium hujus sententiae auctorem vocat, quippe qui de ratione, quae est inter has edd., nihil dicat.

[14]) C. 3 in lectione: *Barditum* Vacd. N. V. M. Ar. (?!) St. H. (?!) optimi ei sunt, c. 7 in: *ne verb. quidem* Vabcde. N. Ar. St. H., dum scripturam codicum Mon. Fl. Ven. Tur. Vind. rejicit, c. 28 in: *boihemi* Vacd. V. M., c. 39 in: *stato* Vatt. H. Harl., c. 37 in: *sinum* Vacd. N. V. M. St. H. T. et M., c. 40 in: *Nui-*

dem editione rem eo progressam esse, ut certam contextus restituendi normam nunc habeamus, qua omnes adhuc destitutos fuisse ipse dicit. Neque absoluta res eo est, quod recentissimo tempore **Trossius** novum Germaniae codicem, Perizonianum, Lugduni Batav. asservatum integrum imprimendum curavit, quamvis firmius eo ars critica in libello nostro nacta sit fundamentum. Tross. ipse, quibus locis aliquid adnotat, interdum nimium codici suo tribuit auctoritatis. Denique, quae superiore anno a **Weisshauptio**, prof. Solodur., publicata est Germaniae editio, ad rem criticam parum utilitatis praebet, quod ex novissimis tantum editionibus variae lectiones neque integrae exscriptae sunt neque omnino, quae contextus constituendi difficultates sint, vir bonus intellexit.

Quae quum ita sint, optandum haud dubie est, ut quis de tota, quae est inter Germaniae codd. et edd. vett., ratione copiosius disserat, quoniam tum demum, quum de fontium indole satis edocti erimus, libelli hujus contextus quam maxime genuinus restitui poterit. Itaque equidem ea de re accuratius exponere consilium cepi. Intelligens autem non ea, qua par est, diligentia editores in enotanda lectionum varietate versatos esse, quum saepius, ubi libri maxime variant, in universum tantum afferant: *Mss.* s. *edd. vett.* s. *alii libri*, multaeque lectiones aut falso ab iis aut certe non satis accurate enotentur, aut plane omittantur, [15]) ad illos ipsos adii libros, in quibus variae lectiones ab iis, qui fontes inspexerunt aut collationes acceperunt, primum communicantur. Sed quum hoc in negotio jam per se longo multis locis occurrerem, quibus aliae ab aliis lectiones ex iisdem libris prolatae sunt, [16])

---

tiones Vacd. N. V. T., qui quidem libri, ut codd. L. Ar. Bb. Hj. Vind. negligenter collatos omittam, ab eo intelliguntur, quum *Huith.* ex Vb. Ang. F., *Math.* ex Mon., *Vuith.* ex H. et St. afferat. Vides paene omnes sensim codd. a Gerl. optimos vocari, etiam eos, quos in deterioribus refert quibusve haud magnam tribuit auctoritatem. C. 20 autem *accipiundis* edidit e solo F., c. 25 *impune,* om. *est,* ex edd. Nor. et Rom., c. 33 *in urgentibus* e codd. N. F. T. Dum porro c. 43, ubi *Altis* Vd. et M. praebent, *Alcis* in optimis libris exstare dicit, tamen c. 10 lectionem *fortuitu* in iisdem codd. obviam contra hos optimos recepit. Pertinaciter defendit c. 39 *retro sequuntur*, c. 42 *peragitur;* contra sine libris edidit: *genus [est]* c. 2; accuratius considerare debuit: c. 20 *tanquam et in animum*, c. 37 *pulsi inde s. nam* etc.

[15]) Facile id intelliges, si ex gr. lectiones codicum Arund. et Bamb., quippe quae ut jam ab Abr. Gronovio et Lipsio allatae omnibus recentioribus editoribus notae esse possent, cum gravissimis Ernestii, Pass., Hess., Walth., Rup., Gerl. edd. comparabis. Ex omnibus tum videbis maxime Rupertio, sed ne huic quidem semper fidem habendam esse. Ern. ex Bamb. integram varietatem propterea attulit, quod omnes Lipsii adnotationes in ed. sua descripsit.

[16]) Variae illae, de quibus supra dixi, lectiones suis locis summa cum religione afferentur.

tum ea potissimum editione, ex qua summam speraveram capturum me esse utilitatem, ed. Gerlachii, maxime in persequendo consilio sum interpellatus. Nam partim hoc in libro seu typothetarum seu editoris negligentia tam manifesta in adnotationibus criticis vitia apparent, [17]) ut jam eo de reliquarum lectionum veritate in dubitationem quandam vocemur, partim multis harum ipsarum suspicio etiam augetur. Non paucas enim ab aliis accuratissime excerptas lectiones falso Gerl. enotat; [18]) deinde ex quibusdam codd. negli-

---

[17]) Singula, quae in ed. Gerl. me offendunt, diligenter afferre et argumentis confirmare propterea necessarium videtur, quod haec editio plerumque immeritis laudibus praedicatur etiam a viris magnae auctoritatis, veluti a J. Grimmio, qui in praef. ed. suae collectione omnium Taciti locorum ad Germanos pertinentium utilissimae Gerlachii editionem *omnium novissimam ac fere castigatissimum* vocat. Minime vero id intendo, ut omnia, quae negligentiam, errorem, temeritatem editoris prodant, hic enumerem; satisfaciant ea, quae mihi quidem occurrerunt, exempla! Apertorum igitur vitiorum, quae vel typothetarum vel editoris negligentiae debentur, haec habeas: C. 2, p. 5 editioni Nor. et lectio *quidam autem* et *quidam ut in* tribuuntur, dum haec tantum in ea inest. — C. 14, p. 24 ex Bon. et *clarescant* et *ut clarescant* notatur. — C. 22, p. 36 *reconcilitatis* pro *reconciliatis*, et ex ed. Put. tam *inimiciis* quam *inimicitiis* Gerl. affert. — C. 26, p. 40 codici *Vd.* et *laborare* et *labore* tribuuntur. Idem occurrit c. 28, p. 42, ubi *Va. boihemi* exhibere ille dicit, tum vero iterum *boiiemionem nomen.* — Eod. cap. p. 43, posteaquam *a bois* e codd. Tur. (falso!) Mon. Long. allatum est, mox additur: *a bois* Harl. Exoritur, quum Harl. illis codd. non subjunctus sit, suspicio aliam in Harl. lectionem inveniri. Mox e Stuttg. *an boii ab araviscis* ille memorat, tum vero in eod. dicit *osi* deletum et i. m. adscriptum *boi.* — Ib. p. 44 pro *meruerint* etiam e T., i. e. Tur. affert *inuenerunt*, quod, quum Orellius de T. sileat, haud dubie F., i. e. Flor. tribuendum est, quippe qui cum Vb. et Ang. illud praebentibus plerumque conspiret. — Ead. pag. infr.: Lectiones *batauii* legendum est pro: L. *batanii.* — C. 29, p. 46 non elucet, quid litera *B.* post lectionem *danuviumque* significet, et, quum ante codicem posita sit, vereor, ne etiam codicem quendam, fortasse Vb. vel F., eo voluerit denotare. — C. 31, p. 50 *cultu citiore* pro *c. mitiore* impressum est, ut p. 62: Virg. Aen. II, 793 pro: 753, c. 41, p. 69 s. f.: *ida* pro *ita*, et Tom. II, p. 223 in loco Ov. Met 10, 425: Alboque toto Vertice canities etc. pro: Alb*a*que. P. 51 e Stuttg. c. 38 *fecterorumve* (hoc et a Mos.), p. 60 *fecterorumque*, e Fl. ib. *Tanterorumve*, p. 60, *Tent.*, e Tur. ib. *Thencat.*, p. 60 *Tencat.* (hoc recte) affertur. — C. 37, p. 59 Vd. et *objecerunt* et *objicit* habere legimus; c. 39, p. 63 e Vc. et *Semones et Senones*, p. 64 ex cod. N. *omnis* et *omnes nominis* enotantur. C. 40, p. 67 bis legimus lectionem *Suardones* in cod. H. exstare; suspicemur illum una alterave litera alium codicem voluisse significare. — C. 43, p. 71 e cod. St. et *Osiburi* et *buri*, p. 73 e cod. N. et *lygios* et *ligios* afferuntur. C. 45, p. 74 ex codd. St. et T. duae diversissimae lectiones: *insuper emergentis* et *insuper audiri,* om. *emerg.*, enotantur. Ibid. in afferendis libris, qui lectionem *formas* tuentur, bis Bon. posita est. — C. 45, p. 76 in lectione *credendum* Vng. pro Ang. impressum.

[18]) C. 1, pag. 3 ex gr. Gerl. falso *erumpat* e cod. Vind., *erumpit* ex ed. Par. affert; c. 5, p. 10 *perinde* e Mon. et Vienn., quae *proinde* ha-

genter sat comparatis lectiones afferre solet, quae num in iis exstent, plane nescimus, immo maxime dubitamus; [19]) tum Vaticanorum quoque collatio a Broterio communicata mirum quantum cum Gerlachii discrepat, quod discrimen in diversitate collationum sola positum esse primum propterea non credibile est, quod multae

---

bent. C. 10, p. 17 Nor. et Par. *sed* ante *apud proceres* retinere dicit, dum in utraque omissum est; c. 11, p. 18 Par. *inciderit* pro *incidit* et c. 14, p. 24 *et ut — clarescant* pro *et — claresc.* tribuit. C. 19, p. 30 e Long. *adcisum* pro *adcisam*, c. 22, p. 35 falso e Sp. Put. Mon. *reconciliandis*, e Vind. *inimicis* affert. C. 25, p. 39 *regnant*, c. 28, p. 43 *a bois* Tur. tribuit, quum Orell., qui cod. Tur. et ed. Kath. cum ed. Pass. contulit, neutro loco quidquam enotaverit; de eodem posteriore loco etiam dicit: semel *Aranisci* pro: s. *Aramisci.* C. 27, p. 41 in ed. Mon. *ut* ante *corpora* om. esse falso affirmat, quoniam neque Pass., neque Hess. id adnotant. C. 29, p. 44 falso e Put. *Batavii* pro *Batavi* attulit. C. 31, p. 50 non prorsus recte Sp. Put. Kath. *voltu* pro *vultu* tribuit; itaque etiam de Bon. subjuncta dubitandum. C. 33, p. 53 in ed. Vienn. *quando in urgentibus,* tum vero iterum: *quando urg. jam* exstare dicit, haud dubie in errorem inductus adnotatione Passovii, qui recte quidem, sed minus perspicue e Vienn. et *quando in urg.* et *urg. jam* attulit; exhibet enim editio: *quando in urg. jam.* C. 35, p. 55 ex ed. Mon. falso *et tum immensum* pro: *et tum imm.* affert. Ibid. lectionem *id pretium virtutis etc.* duobus locis Va. tribuit, quum Brot. et, qui ejus collationem transscripsere, Walth. et Rup. e Vat. 1518, qui Gerlachio Vc. est, non e Vat. 1862 eam attulerint. C. 38, p. 61 Nor. Lg. Rom. (sic saepissime codd. et edd. male ab eo miscentur) pro: *in solo* praebere dicuntur *in ipso solo.* C. 39, p. 64 *cohaerent* in Long. inveniri, postea tamen solum T. id tueri legimus. Error in eo est, quod Lg. *coeunt,* non *cohaer.* praebet. C. 40, p. 67 falso *bubus* pro *bobus* ex Humm. affertur, ibid. p. 68 *qui si id* pro *quid si id* e Put., et *proper* pro *propero* e T.. C. 43, p. 71 *montium* inter *continuum* et *jugum* in Nor. om. esse Gerl. dicit, sed haud dubie Mon., in qua ea vox deest, intelligenda; ib. fin. e Par. *Helveconas* pro *Helvetionas* cum Walth. affert, et p. 72 *Haliosnas* e St. (?) modo allatum v. l. dicit codicis H. pro *heliosuas,* quapropter etiam de subjuncto Va. dubitari queat; ib. mox e T. *Nahanarvolos* pro *Nahanarvalos* enotat, quam lectionem hic quoque subjunctis libris jure tribuas. C. 46, p. 77 denique T. et Kath. *domos figunt* pro *d. fingunt* adscribit.

[19]) Veluti ex Humm. c. 3, p. 7 *Barditum*, c. 5, p. 10 *perinde*, c. 7, p. 13 *ac libera* et c. 28, p. 44 *Tribocci* certis verbis Gerl. affert, quum nec Long., neque Hummel., nec Sell. his locis aliquid enotaverint, Teubertus vero, ad cujus editionem Sell. codicem comparavit, *Baritum*, *proinde, aut libera* et *Triboci* exhibeat, ut has lectiones in illo inesse prius concludere liceat. C. 20, p. 33 dicit: *tanquam ii et anim.* (quod conjectura Rhenani est) Bamb. et Arund. (quibus F (??) additus est) confirmare videntur; ib. *quo major* Bamb., Arund., Lg. tribuit, cum additamento quidem: ut videtur. C. 22, p. 36 dicit: *loci* St. H. fortasse et M. et Ar. Rhen. (qui tamen *joci* habet) Lps. C. 44, p. 74 dicit: *otiosae* (quod primum in adnot. Coleri pro *otiosa* nec tamen emendandi causa lectum postea in ed. Amstel. a. 1734, ab Ern., aliis receptum est) soli codd. Ar., Bamb. tueri videntur; ibid. Ar, et Bamb. lectio *sonum insup. audiri* certis verbis adscribitur.

earum, quas Broterius enotavit, lectionum ita comparatae sunt, ut verae videantur, tum quod Massm. in commentariis jam supra allatis, quamvis paucae tantum lectiones ab eo enotentur, alias interdum ex suis codd. scripturas atque Gerl. protulit; [20]) denique

---

[20]) Utile erit lectiones Vaticanorum a Brot. et Gerl. allatas, non quatenus se suppleant, sed quatenus differant, hic componere, ut, si quis Vaticanos denuo conferat, ad eas ipsas animum advertat. Et hae quidem lectiones sunt, quae huc pertineant: C. 1 in Vb. s. Br. *Arbonae,* s. G. *Arnobe,* i. m. *Arbonae;* c. 2 in Va. s. Br. *Tristonem,* s. G. *Tuist.,* in Vb. s. Br. (sed *1498*) *Bistonem,* s. G. *Tyistonem,* i. m. *tirstonem pro tuisman;* ib. s. Br. *Hermiones* in Vatt., s. G. in Vb. *Herniemones;* c. 3 in Vb. *Barditum* s. Br., *bardicum* s. G.; c. 5 *affectione* s. Br. et G. in Vbc., *affectatione* s. Br. in Va*b*, s. G. in Vad., ubi Br. haud dubie erravit; c. 8 s. Br. in Va. *Alberniam,* in Vb. *Albriniam,* s. G. *Aurinium* in Vab et *albriniam* in Va. i. m., *albrinam* in Vb. i. m.; c. 21 in Va. *poposcerunt* s. Br., *poposcerint* s. G.; c. 26 in Vb. s. Br. *vice* et *praebent*, s. G. *vices* et *praestant,* porro in Vb. s. Br. *labore,* s. G. *laborare,* in Vd. s. Br. *laborare,* s. G. et *laborare* et *labore,* ubi alterutra lectio spl. vel i. m. videtur esse; c. 28 in Va. s. Br. et G. *boihemi,* sed s. G. etiam *boiiemionem nomen,* i. m. *boiien nomen,* in Vc. s. Br. *boiemi*, s. G. *boihemi;* in Vbc. s. Br. *a Boiis,* s. G. in Vb. *a bois(et ab osis),* in Vc. *ab ois;* c. 34 in Vad. s. Br. *Tasuari,* s. G. *Thasuarii,* in Vc. s. Br. *Occasuarii,* s. G. *Chasuari;* c. 37 s. Br. in Vacd. *situm,* s. G. *sinum;* ibid. *objicitur* s. Br. in Vc., s. G. in Va., ubi Gerl. haud dubie eadem ratione peccavit, qua c. 35 Broterianam collationem sequens in lectione *id pretium virt.* Vat. 1518 non Vc., sed Va. vocat, porro in Vb. s. Br. *objecit,* s. G. *objicit* in Vd., ex quo eodem tamen uterque *objecerunt* enotant, ut Gerlachii error appareat; tum s. Br. in Vad. *Marco quoque Manlio,* s. G. in Vabcd. *Marcoque Manlio;* c. 38 in Vbc. s. Br. *ligant,* s. G. *religant,* ubi fortasse *re* spl. exstat; c. 40 in Vb. *Suarines* s. Br., qui in Vd. abesse eam vocem dicit, s. G. in utroque *Suardones;* deinde in Vb. s. Br. *nota*, s. G. *vota,* in Vc. s. Br. *nunc t. n., item tantum amat.,* dum s. G. *tunc* ante *tant. amat.* in eo deest; c. 43 s. Br. in Va. *Helvetonas,* in Vb. *Helvectoras,* in Vc. *Eluheconas*, in Vd. *Helvectonas,* s. G. in Va. *helve*^{c}*tonas,* in Vb. *Helveconas,* in Vc. *helvetonas,* i. m. *eluheconas,* in Vd. *Helvecbonas;* deinde in Vac. s. Br. *Nahanarvalos,* s. G. *Nahanarvolos,* cf. adnot. *18;* c. 44 in Vad. s. Br. *ipsae in oceanum,* s. G. *ipso in oceano.* Fortasse Mssm. his de locis nos edocebit; in censura illa ed. Tross., Berl. Jahrb. l. l., duas adhuc, quas Gerl. communicat, Vaticanorum lectiones contra Br. confirmavit: c. 33 *urgentibus jam* in Vad., s. Br. *jam urg.*, et c. 40 *Neithum* in Va., s. Br. in omnibus *Nerthum,* quod Gerl. e Vd. solo affert, dum *Neuthum* e Vc., *Neherthum* e Vb. communicat. — Alias contra atque Gerl. has ex codd. suis lectiones Massm. profert: c. 8 *Velledum* in Vb., s. Br. *Veledam;* c. 9, p. 16 Gerl. dicit: *assimilare* et codd. et edd. vett., *assimulare* Vind., s. Massm. contra *assimulare* in plerisque codd., *assimilare* in solo Ven.; c. 33, p. 53 Gerl. parum accurate e Vbc. *urgentibus,* om. *in,* ut Brot., affert, dum Massm. e Vb. *quin urg.* (qñ in urg.) enotat; c. 36, p. 57 in Vb. Ang. Flor. s. G. *adversariis rerum,* quod idem v. l. in Vd. Neap. esse dicit, s. Mssm. *adversarios rerum,* contra *adversariis rerum* in Vd., *adversarum rerum* in Neap.; c. 37, p. 59 in Flor. s. G. *amisso et ipso pacoro,* s. Massm. *amisso et ipso et ipse pac.;* c. 46, p. 78 s. G. *oxionas* plurimi codd., ex gr. Vc. Ven.,

tranquillitatem animi ad ejusmodi negotium necessariam huic viro deesse tum singuli loci tum tota editio probant.[21]) Itaque Gerlachii diligentiae diffidens et, quid his in rebus faciendum sit, dubius audivi *Massmannum*, V. CL., ipsum nostra in urbe morari. A quo, cum adirem, humanissime exceptus dubitationem meam non falsam esse cognovi: Gerlachium apparatu suo non ita bene usum esse, ut multas lectiones falsas protulerit; sese prope diem novam Germaniae editionem, cujus priores plagulae jam imprimerentur, in publicum emissurum in eaque non solum omnes omnium codd. variantis allaturum, verum etiam totam inter vett. libros rationem expositurum esse. Idem vir doctissimus praeterea pro benignitate atque humanitate sua exemplum e cod. Periz. accuratissime a se descriptum mihi ignoto utendum dedit, unde non mediocrem cepi utilitatem, quum, quid postea demum in codicem insertum sit, nunc sciam. Nihilominus in illa rerum condicione lubrica res videri potest, praesertim quum novam eamque haud dubie meliorem codicum collationem brevi spatio in lucem emissum iri spes sit, nunc de apparatus critici hujus libelli indole ac ratione dissertationem componere. Sed primum plerasque codicum lectiones falso traditas nobis esse illaque collatione omnia eversum iri accipi nullo modo potest, quoniam saepius plures collationes in afferenda lectionum varietate congruunt neque est, cur de aliarum multarum variantium veritate dubitemus; a Massm. vero ipso multis locis ne illa quidem collatione certam salutem afferi minimeque dubitationem tolli equi-

---

exionas Va., s. Mssm. *exionas* Vc. V., *l etionas* / *Oxionas* Va. Neque semper Gerlachio iis locis, quibus e Stuttg. accuratiore codicis cognitione ductum saepius alias atque Hess. variantes se enotavisse ipse affirmat, fidem habendam magis etiam postea intelliges.

[21]) Quam leviter et negligenter Gerl. editionem conscripserit, nunc jam concedes; idem vero ex his quoque locis elucebit. E. Par. c. 1, p. 2 *Rhetisque* et *retique* pro *Rhetiisque* et *retieq.*, c. 2, p. 6 *Vandalios* pro *Vandalos*, c. 16, p. 27 *liniamenta* pro *lineam.* enotat, quum Hess. in Comm. I., p. VII et 41, II, p. 4 fin. et I, p. VIII sua ipsius verba corrigat; c. 13, p. 21 *principum dign.* Mon. praebere dicit, quod a Pass. falso enotatum jam Hss. in Comm. III, p. 16 corroxerat; c. 14, p. 25 lectionem: *nam epulae et quanq. incompti largi tamen app.* e cod. Tur. affert, sed oblitus est vir doctissimus in hoc cod. a capitis 8 voce: *captivitate* usque ad c. 16 verba: *solent et subterran.* lacunam esse; c. 21, p. 34 dicit: pro *hospitii* ap. Pass. nescio an typothetarum lapsu *hospitis* exscriptum est, quanquam jam in corrigendis ad ed. Pass. id adnotatum est; c. 39, p. 64 *Stato tempore* omnibus Vatt. tribuit, tum vero *Statuto* e Vb. affert; c. 44, p. 74 *nec* et *neque promiscuo* pro *n. precario* legendum, quum libri post *neque prec.* allati: cod. Tur. edd. Sp. Kath. Put., igitur etiam, credo, Bon., non hanc, sed illam lectionem contineant. Facillime hic vitiorum in ed. Gerl. occurrentium numerus augeri posset, et de nonnullis etiam sequentibus dicere opus erit; hic ea, quae dedi, tibi sufficient, ut verius hac de ed. judicium facias.

dem cognovi. Difficilius sane, ut res nunc habet, negotium est nonnullaque, quae dubia sunt vel interim argumentis non tam certis confirmari possunt, tum fortasse illustrabuntur; attamen ubi singuli codd. saepius conspirant, jam nunc certum de iis judicium ferri poterit et probari, et omnino totam codicum rationem intelligere licebit. Deinde etiam de ratione inter codd. et edd. vett. intercedente, de qua singula tantum a singulis judicia adhuc prolata sunt neque ullus quaestionem ad omnes edd. pertinentem instituit, poterit exponi, ut uno aspectu, qui edd. vett. et inter se et cum codicibus cohaereant, cognoscatur. Huc accedit, quod de Rhenano et Lipsio accuratius quid afferre necessarium mihi videtur, de qua re jam initio dixi. Neque inutilem meam operam fore propterea speravi, quod non solum septem editiones veteres, quae in bibl. reg. Vratisl. exstant, Nor., Put. Ven., Mon., Vienn., Schum., Rhen. 1533, Lips., praesto mihi fuerunt, sed etiam exemplum codicis Ven. accurate transscriptum et variantes codicum St., Tur., Vind. editionisque Spir. denuo collatorum lectiones nondum publicatae a *Passovio*, viro humanissimo, gymn. Meining. praeceptore, ex beati patris apparatu critico in usum meum permissae sunt, quibus libris adjutus non paucis locis lectiones ab aliis traditas correxi et in universum accuratiorem vett. fontium cognitionem sum assecutus. His igitur de causis de consilio meo non destiti, et quidem sequentibus primum vett. libros, ut uno in conspectu positos habeas, quod eae, quas viri docti adhuc dederunt, vett. librorum descriptiones partim non omnes libros continent, partim adumbratae tantum ac vitiosae sunt, quam paucis potest, enumerabo, tum de origine codicum atque de corruptelis locutus ad singulos codd. accedens ex lectionibus quorundam communibus familias describam et docebo, quae ex his ipsis rursus accuratius cohaereant, quae priores quaeque derivatae demum sint, sicuti unde scripturae in diversis familiis obviae sint explicandae; deinde nexus, qui inter codd. edd.que vett. est, descriptionem, si non longam, quum spatium vetet, tamen perspicuam proferre studebo, ut, num codicibus et qualibus editores usi sint, rectius intelligatur; denique particulam certe eamque graviorem disputationis de pretio lectionum institutae et ad postremum quaestiones de singulis quibusdam locis difficilioribus modo hac, modo illa ex parte desumptas adjungam.



CAPUT I.

BREVIS CODICUM ET EDD. VETT. DESCRIPTIO.

A. CODICES.

1) **Stuttgardiensis** (St.), de quo cf. Hess. Comm. I, p. 1 et II, praef. p. III, Gerlach. praef., p. XIII, chartaceus, Neapoli, ut in fine libri notatum est, saeculo XV scriptus, cum titulo: *Cornelii Taciti de origine situ* (s. Os., *ritu* s. G.) *et moribus Germanorum feliciter incipit.*, continens multa etiam alia, ex gr. Luc. Florum, Rufum Sextum, nomina Pontificum et Imperatorum. Quae cum usque ad a. 1460 pertingant, ante hoc tempus librum scriptum non esse facile apparet.[22]) Lectiones trium collationum a Seebodio (S.), Mosero (M.) et Gerl. (G.) institutarum quum saepius inter se differant, grata mihi acceptaque varietas lectionis fuit ab Osiandro (Os.), Prof. Stuttg., ad ed. Oberl. ex eo enotata, quae benignitate Gu. Passovii, v. d., mihi permissa est quaque multis de locis certior factus intellexi a virorum illorum nullo ea, qua par est, diligentia codicem esse comparatum. Nihilominus etiamnunc novae collationi multa sunt relicta.

2) **Hummelianus** (H.), de quo cf. edd. Hss., p. X, Pss., p. IX, et Selling. Obss. crit. etc., p. 32, chartaceus, forma IV, foliis XIV, saec. XV scriptus, negligenter collatus a Longolio (Lg.) ad ed. Rhag. et Hummelio (H.), diligentius quidem a Sellingio (S.) cum editione Teuberti (Tb.), Lips. 1826, sed ne nunc quidem satis excussus.

3) **Farnesianus** s. **Neapolitanus** (N.), de quo cf. ed. Lips. a. 1574 in monitione ad lectorem, Eckstein. ap. Walth. IV, p. VII–X, Gerl. p. XI, Massm. in commentariis, qui inscribuntur: Berliner Jahrb. f. wiss. Kritik, a. 1841, m. Novbr., n. 87 etc., membranaceus, folio, saec. XV nitidissime scriptus, cum titulo: *C. Cornelii Taciti de origine et situ Germanorum* (s. Gerl.: *Germaniae*) *liber incipit.*, Ann. libb. XI–XVI, Hist. I–V, Dial., Germ. et Suet. de vir. ill. continens. Contulit eum jam Lipsius, sed undecies (falso *sexies* ap. Pass.) tantum ejus mentionem fecit; multo accuratius nuper a Massm. codex collatus est delectusque variantium ejus lectionum in Gerl. ed. exstat.

---

[22]) Ubi asservati sint singuli libri, hac in descriptione afferre supersedeo, quum ejusmodi notitiis de codicum et edd. vett. indole omnino non certiores fiamus, facillime autem illae ex aliorum, quos ad singulos libros laudavi, descriptionibus desumi possint.

4) **Perizonianus** (P.), de quo v. Tross. in praef. ed., p. VI-XI, qui nuper eum detexit et typis exprimendum curavit, ab Joviano Pontano a. 1460, Martio mense, charactere Longobardico accuratissime scriptus, membr., forma fere quadrata, foll. LX, dial., Germ. et Suet. de vir. ill. continens, inscriptus: *Cornelii Taciti de origine, situ, moribus ac populis Germanorum liber incipit.* Accuratiorem ejus cognitionem ipse exemplo Massmanni aliquandiu mihi permisso sum assecutus.

5) **Longolianus** (L.), de quo cf. Kapp. in praef. ed. Long. (ap. Hess. p. X), chartac., saec. XV scriptus, nunc mutilus, quum initium usque ad c. 8 extr. et finis inde a c. 43 desint, excussus a Longolio nec tamen satis accurate, ut ex lectionum paucitate apparet.

6—10) **Vaticani quinque**, quorum quatuor jam Broterius contulerat (cf. Brot. ed. min., Paris. 1776, 12., tom. I, p. LVII, Ern. ap. Ob. I, p. LV, Fabric. Bibl. II, p. 400, Rup. I, p. CVII, 8-11, Hess. ed. Dial., Lips. 1841, proleg. p. XIV-XV), quintum Massm. primus excerpsit (cf. Gerl. p. XI, Massm. l. l.). Singuli autem codd., e quorum variantibus Massm. Gerlachio delectum concessit, hi sunt:

6) **Vaticanus a.** (Va.), ap. Brot. 1862, chartac. (membr. ap. Brot.), foll. max., saec. XV exaratus, Germ., Suet. de vir. ill., dialogum continens, inscriptus: *de origine et situ Germanorum.*

7) **Vaticanus b.** (Vb.), URB., 655, ap. Brot. 4498 (de quo praeterea cf. Tac. Agric., ed. Dronke, Confl. 1824, 8., praef. p. VII, et Fuldae 1844, 8., praef. p. V et VIII, U. J. H. Becker, Hamb. 1826, praef. p. XI, Walch, Berol. 1828, 8., praef. p. VII), membr. (chart. ap. Brot.), foll. max. secd. Gerl. (forma quaternaria s. Dronk., forma IV magna s. Hss. l. l.), saec. XV a Pomponio Laeto nitide scriptus, Agricol., Dial. et Germ. continens, inscriptus s. Gerl.: *de situ Germanorum* (s. Massm.: *de sit. Germaniae*) *libellus.*

8) **Vaticanus c.** (Vc.), ap. Brot. 1518, membr., foll. max. (forma 4 magna s. Hss.), saeculo XV nitide scriptus, praeter alia dialog. et Germ. continens, s. Gerl. cum titulo: *C. Cornelii Taciti de (origine et* s. Massm.*) situ Germanorum.*

9) **Vaticanus d.** (Vd.), ap. Brot. 2964, chartac., saec. XV (vel s. Gerl. initio saec. XVI) scriptus, Germaniam et partem dialogi continens, cum titulo: *Cornelius T.* (s. Gerl.) *de origine et situ Germanorum.*

10) **Vaticanus e.** (Ve.), Palat. Ottobon. 1795, chart., mancus, desinens in verbis c. 13: *et ipsa plerumque,* s. Gerl. inscriptus: *Cornelii Taciti viri consularis de situ ac moribus Germanorum (de sit. — Germaniae* s. Massm.*) libellus.*

Primum praeterea a Massm. excussi sunt tres sequentes codd., quorum varietatem pariter Gerl. ex parte communicat:

11) **Monacensis** (M.), papyrius (ap. Gerl. p. XII sine sensu: pop.), 4., saec. XV (falso ap. Gerl.: saec. X) scriptus s. Massm. l. l. et Wsshpt. p. XXVI, qui hunc codicem se inspexisse dicit, novas tamen lectiones nullas dedit, inscriptus: *C. Cornelii Taciti* (s. Gerl.) *de origine et situ Germanorum.*

12) **Florentinus** (F.), de quo Bandinius in catalogo codd. latt. bibl. Med. Laurent., III, 44, Gerl. p. XII et Massm. l. l. dixere, membr., saec. XV nitidissime scriptus, foll. quadrat. (foll. 82 formae 8 maj. s. Band.), ante Germaniam, quae s. Band. pagg. 45—59, b. occupat, Apicii Celii libros X de re coquinaria etc., post eam Francisci Aretini elegiam et praefationem ad Pium II papam in Diogenis philosophi epistolas continens, quarum latina conversio s. Band. sequitur. Inscriptus codex est: *C. Cornelii Taciti (equitis Romani* s. Gerl.*) de origine et situ Germaniae.* Quod quum Pius II inde ab a. 1458 usque ad a. 1464 ecclesiae praeesset, Fr. Aretinus autem (cf. Jöcher., Gelehrtenlexicon, ed. maj., s. v.) a. 1443 nasceretur, si quid ex scriptis cum libello quodam conjunctis concludere licet, fortasse non multo ante a. 1464, quum vigesimum fere aetatis annum Aretinus ageret, codex est descriptus.

13) **Angelicus** (Ag.), de quo cf. Gerl. p. XII, et Massm. l. l. chart., forma quaternaria, a. 1466 scriptus, cum titulo: *de Germaniae situ* (et s. Massm.) *opusculum incipit.*

14) **Harlejanus** (Hj.), de quo v. Gerl. p. XI et 1, chartac., saec. XV scriptus, cujus lectiones maxime notabilis a Panizzio sibi transmissas Gerl. publicavit. Octoginta ferme hujus cod. lectiones variantis se accepisse hic p. X init. dicit, sed vix quadraginta in ed. promulgavit. Inscriptus codex est: *C. Cornelii Taciti oratoris de origine et situ Germanorum liber.*

15) **Arundelianus** (A.), de quo cf. Ern. ap. Ob. p. XXV, ap. Bk. p. XX, Pass. praef., p. VII, Rup. p. CVI, 1, Gerl. p. X. Excerpta ejus Abr. Gronov. in ed. patris, Jac. Gron., a. 1721, t. II, p. 576—78 dedit ab Isaaco Vossio collecta. Ceterum eundem cod. et Pet. Burmannus Secundus, qui ad Anthol. Lat. 5, 145, t. II, p. 440 *Blandicum* ex eo enotat, et Joan. Fr. Gronov., Isaaci Vossii aequalis, noverunt, quum hic quoque lectiones quasdam ex eo afferat; cf. c. 14 lectionem: *tueare* et c. 11 Gronovii verba: *Ms. Pirchheimeri, dein Comitis Arondellii: nec ut jussu conveniunt*, quamobrem c. 3 ille vir doctus in afferenda lectione: *adfirmare* codicem simpliciter scriptum Pirchheimeri vocat. Nunc amissus hic codex videtur.[23])

---

[23]) **Quae de historia hujus cod. collegi, certe in adnot. locum teneant. Pass. enim p. VII et, qui eum sequitur, Rup. p. CVI, 1 in bibl. Oxoniensi**

16) **Bambergensis** (B.), de quo v. Ern. ap. Ob. p. XXIII, ap. Bk. p. XIX, Pass. p. VIII, Rup. p. CVI, 2, secd. Francisc. Modium (cf. Collect. epist. Burm. I, p. 107) paucas tantum e nostro libello plagulas easque rec. m. scriptas continens, quas in Lipsii usum ille comparavit. Specimina scripturae ab initio libelli incipientia ad c. 43 progediuntur, sed capp. 6—10, 20—22, 39—41 nihil est enotatum. Hodie, ni forte interiit, loco ignoto latet.

---

hunc cod. asservari afferunt; unde tamen eam notitiam sumpserint, nescio. Abr. Gronov. in ed. a. 1721, t. I, praef. s. fin. dicit: Ad libellum de moribus Germanorum pro symbola attuli variantes lectiones, quas ex Ms. Arund. collegerat Isaac. Voss.; attamen ap. Pss. legimus: *Barditum* (c. 3) se legisse testatur Abr. Gronov. Estne fortasse eo Pass. deceptus, quod Jac. et Abr. Gronovii duos codd. Oxon. contulerunt, ille cod. collegii Jesu (cf. ed. J. Fr. Gron., t. II, p. 8), hic cod. Bodlej. (cf. ed. Jac. Gron., t. II), praesertim quum excerpta codicis Arund. lectionibus cod. Bodl. adfixa sint et Abr. Gron. in t. I praef. med. dicat: Accedunt etiam ad calcem huj. ed. variae lectiones excerptae ex Ms. cod. bibl. Bodl., quem, dum Oxoniae fui, contuli.? An forte Pass., quod multi alii libri Arund. illi bibliothecae illati sunt, etiam hunc cod. ibi asservari putavit? Certa igitur argumenta hujus a Pass. prolatae sententiae quum non adsint, Panizzi vero, v. d., Gerlachii nomine rogatus, ut hoc de cod. accuratius exponeret, in libris Arund. Taciti Germaniam unquam fuisse et in Museo, cui omnes illati essent, codd. Arund., exstare negaverit (cf. Gerl. praef., p. X), fortasse alio quodam loco ignoto etiam latet. Quaerens autem, num forte Is. Voss. de nostro cod. quid communicet, in praef. ad ed. Pompon. Mel. p. 1 inveni Vossium inter tres, quos in edendo illo scriptore secutus est, libros Mss. Britannicum quoque afferre, quem sibi ex bibl. Arundeliana suppeditaverit avunculus Francisc. Junius. Qui, Franc. Junii, theol. professoris Leidens., filius, a. 1589 natus, qui et ipse theologiae studiis se dedit, a. 1620 in Angliam profectus est, ubi triginta per annos mansit et bibliothecarius factus est Comitis Arundelii. A. 1674 in Angliam reversus in domo filii sororis, Is. Vossii, a. 1677 a. d. XIII Cal. Dec. e vita decessit (cf. Jöcher., Gelehrtenlex., s. v.). Quis est, cui non statim in mentem veniat huic suo avunculo Vossium codicis Arund. usum debere? Hic enim, a. 1618 natus, circiter a. 1640 tres annos per Italiam, Galliam et Angliam iter fecit, in quo multos libros Mss. sibi comparavit. Post a. 1663 quidem iterum in Angliam profectus est et plures annos Oxoniae moratus a. 1689 Windsorii mortuus est, librorum Mss. multitudinem relinquens (cf. Jöcher. l. l. s. v.). Quaeritur ergo, in utro itinere, in primo an altero, Is. Voss. codicem excerpserit, et num Fr. Junius etiam post a. 1674 illo munere functus sit bibliothecarii. His cum quaestionibus alia cohaeret, quo anno bibliotheca Bilib. Pirchheimeri Norimbergensis adjuncta sit bibliothecae Arundelianae. In Naumanni Serapeo, t. IV, p. 265 legimus a. 1663 Henricum Howard, comitem Arund. et postea ducem de Norfolk, emendam eam curavisse, sed jam a. 1666 illum cunctos Mss., ut a. 1681 omnes libros, amovisse, alteram partem collegio, quod vocatur college of arms, alteram 550 tomos continentem regiae societati donantem, licentia data, ut omnes libri, qui bis adessent aut fini societatis non responderent, cum aliis commutarentur. Et revera hos libros, quorum permulti in quibusque etiam veteres scriptores fuerint, intra annos 1829—1835 cum aliis Musei Britannici mu-

17) **Venetus** (V.), de quo Bach. t. I, p. X, Gerl. p. VII, Massm. l. l. dixerunt et ipse ego ex illo Passovii exemplo (ex.) nonnulla addam, chartac., fol. (exemplum forma 4 maj.), praeter Germaniam s. ex. 17 pagg. occupantem et a fol. 186 incipientem alia etiam opera continens, exaratus Bononiae a. 1464 (falso ap. Gerl.: a. 1469 et ap. Bk. t. I, p. 818: a. 1453), quod quater sub primis codicis foliis Aeneae Piccolomini s. Pii II papae manu scriptum exstat et ultima exempli pagina notatum his verbis est: Opus absolutum Bononię anno Dñi MCCCCLXIIII ad petitionem Jo. Marcanovę. Inscriptus liber est: *Cornelii Taciti Liber* (s. ex.) *de situ et origine Germanorum*, comparatus autem, postquam Bach. ex eodem, quod nunc equidem in manibus habeo, exemplo hic illic lectionem enotavit, multo accuratius a Massm., cujus collatio ex parte ap. Gerl. exstat. Quae falsa ab hoc allata sunt aut omissa, equidem ex Passovii exemplo corrigam et addam. In fine exempli haec verba leguntur: NB. Interpunctio eadem est cum codice: quę infra signavi ea sunt quę errata aderant in codice, quęque reliqui omnino ut erant. quę in margine littera a signavi incerta sunt in codice. Glossemata alia marginum ea sunt quę in codice reperi. Uno verbo codicem affatim exscripsi quoad omnia, exceptis breviationibus, quas diligenter exsolvi. Quae utrum jam in cod. Ven. librarius exempli mei invenerit, an ipse demum composuerit, dubitari potest. Sed mihi quidem illud verisimilius videtur, quia diphthongus *ae* eadem ratione, qua in libello ipso, scripta est et oratio stilum medii aevi redolet (sic etiam pag. 1 ad lectionem *victorię* i. m. exstat: ę videtur abras*us*.), ut Venetum hoc exemplo accuratissime descriptum nos habere putem. Pro altera sententia id esset, quod Gerlach. ad c. 15, p. 26 pro: *hebent* e Ven. *hñt* affert, dum in exemplo: *habent* exstat, ni forte Gerl., ut et alias, falsam e Massmanni codd. lectionem attulerit, vel hic ipse vocem *habent* illo compendio notissimo sibi notaverit.

18) **Turicensis** (T.), de quo cf. Ern. ap. Ob. p. LIX, ap. Bk. p. XXXVII, Orell. Symb. etc., p. 6, chartac., form. maj., ante et post

---

tatos esse. Contra a. 1636 partem bibliothecae Pirchheimeri comiti Arund. venditam et a duce de Norfolk, qui eam acceperit, a. 1681 cum bibl. Arund. regiae societati literarum Londiniensi traditam esse Rotermund. in contin. op. Jöcher., t. VI, p. 255 s. v. *Pirchheimer.* refert. Uter horum numerorum, 1663 an 1636, verus sit, in plurium subsidiorum penuria decernere nequeo. Id autem certe nunc scimus, quibus locis quaerendus sit hic codex; ubi si non inveniatur, fortasse in manibus mansit Vossii, cui avunculus singularem in usu illius bibl. licentiam dederit. Sed fortasse aliis permissum erit, ut ea, quam significavi, via certius quid hoc de libro proferant.

Germaniam sex tantum folia complectentem, quum inde a voce c. 8: *captivitate* usque ad verba c. 16: *solent et subterr.* trium duntaxat linearum intervallo indicata lacuna sit, alia quaedam etiam continens, inscriptus: *Cornelii Taciti illustrissimi historici de situ, moribus et populis Germaniae, libellus aureus.* In calce legitur: *Transcriptum manu Petri Numagen Treverensis, capellani Sancti Leonhardi prope Turegum Anno Domini millesimo quingentesimo secundo Die XII. mensis Junii.* Primum codex ab J. J. Breitingero in Ern. usum excerptus, multo accuratius autem a. 1819 ab Orellio (O.) l. l. collatus est. Attamen multa dubia relicta erant, de quorum non paucis nova collatione a Kelnero (K.), prof. Turic., instituta et a Passovio mihi commodata certior factus, equidem alia corrigere, alia adjicere potui.

19) **Vindobonensis** (Vi.), de quo v. Wissowae Lectt. Tac., Spec. III, Ratib. 1832, 4., Hess. Comm. III, p. III, Bach. t. I, p. X, membr., form. max., foll. 236 complectens et continens Ann. libr. XI–XVI, Hist., Germ., dial.. Scriptura recens, sed nitidissima est, compendia paucissima. Codicem ex iis esse, quos Mathias Corvinus, qui annis 1458–1490 Hungariam regebat, egregius ille literarum fautor, describendos curavit, cum per se constet, tum insignibus illius regis gentiliciis confirmatur; intra hoc igitur spatium scriptus esse codex videtur. Primus Hess. (Hss.) l. l. collationem a Schubartio, v. d., institutam, sed ad c. 27 tantum, publicavit; mihi quidem lectionis varietatem benignitate Passovii adepto in patris usum a Tschoppio (Tsch.), prof. Laibac., [24]) ad ed. Gron. a. 1721 enotatam, e qua jam Bach. in ed. hic illic nonnulla promulgaverat, ut non solum reliquas lectiones tradam, verum etiam multas ab illis prolatas corrigam, oblata est facultas.

B. EDITIONES VETERES.

1) **Norimbergensis** (Nor.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. LIX, ubi et Oberlini ipsius verba animadvertas, ap. Bk. p. XXXVII, Pass. p. XIV, Rup. p. CXXVIII, 2, Gerl. p. XVI, solam Germaniam exhibens, s. l. et a., form. maj., foll. XI, charactere gothico, cujus luculenta forma Frid. Creussneri officina circa a. 1474 (ap. Pass. falso: MDLXXXIV) florens proditur, finiens verbis: *Laus deo clementissimo.* Habuere hunc libellum jam Rhenanus, cui codex Artholphi est, [25]) Longol. et Ern., qui codicem Kappii vocat, tum Oberl., diligentius tamen Pass. demum con-

---

[24]) In fine enim collationis manu ipsius Franc. Passovii scriptum est: *Tschopp, prof. Laibac.*

[25]) Cf. infra Cap. IV.

tulit, et accuratissime omnium Hess. in Comm. III. Ab hoc tamen quum collatio tantummodo ad c. 27 usque promulgata sit, equidem iterum illud exemplar, quod in bibl. Vratisl. exstat, diligentissime contuli, ex eoque non pauca correxi, omissa notavi.

2) **Romana** (Rom.), de qua cf. Oberl. in Ern. praef., p. LIX, Rup. p. CXXVIII, 3, Hss. Comm. III, praef., item Germ. solam continens, form. media, charactere Joan. Gensbergium, Romanum typographum, prodente, in fine fol. 16 verba: *Deo gratias* exhibens. Contulit eam ipse Oberl., sed haud satis diligenter, accuratius autem Fritzius, V. S. V., theologiae in acad. Argent. professor, in usum Hessii, qui tamen usque ad c. 27 tantum, id quod dolendum, varietatem lectionis in Comm. III promulgavit.

3) **Parisina** (Par.), de qua cf. Pass. p. XVI, Rup. p. CXXVIII, 6, Hess. Comm. I, p. IV, Gerl. p. XVI, inscripta: *Cornelii Taciti de origine et situ Germanorum opusculum. Año dñi* 1511, et Conr. Celtis carmen de situ et moribus Germanorum antecedens, foll. X, form. IV. Praefationi ad Philibertum Baboum a Godofredo Torino praefixae subscriptum est: *Parrhisiis apud collegium Plessiacum. VI. Noñ. Maias. MCCCCCX.* Quas e capp. 1-18 Hummel. excerpsit scripturae discrepantias, Pass. p. XVI enotavit; accuratissime tum Hess. eam cum ed. Pass. contulit et in Comm. I varietatem publicavit.

4) **Spirensis** (Sp.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XXIX, ap. Bk. p. XXII, Pass. p. XIII, Thiersch. in Act. etc., III, 3, p. 465, Walth. I, p. XXIII, Rup. p. CX, Gerl. p. XV, sine titulo, loco et anno, form. max., Ann. libr. XI-XVI, Hist., Dial., Germ. continens. Post Dial. verba leguntur haec:

Finis Deo laus

Cęsarios mores scribit Cornelius; esto
Iste tibi codex: historię pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: *pressit*
Spira premens: artis gloria prima suę.

Quapropter ab aliis Joanni de Spira, ab aliis Vindelino, fratri natu minori, quorum officinae Venetiis inde ab a. 1468 florebant, editio assignatur. Sed quum omnes in eo consentiant, intra annos 1468—1470 editionem impressam esse, haud immerito editio princeps [26]) habetur. Ern. nonnulla tantum inde delibavit, diligentius librum contulerunt Seebod. in Hist. et Germ., cujus excerpta jam cum Rup. communicata nunc mihi quidem, quatenus

[26]) Quemadmodum in codd. enumerandis, quantum fieri potuit, jam nexum eorum respexi, eadem ratione edd. vett. afferuntur, quatenus inter se cohaereant; quo factum est, ut editio princeps non primum locum teneat.

ad Germaniam pertinent, benignitate Passovii praesto sunt, tum Thiersch. l. l. in Germ., accuratissime autem atque integrum Walth.

5—7) **Tres edd. Fr. Poggii** Florentini, adnexae hujus latinae historiarum Diodori Siculi translationi, et quidem:

5) **Bononiensis** (Bon.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. LX, ap. Bk. p. XXXVII, Rup. p. CXXVIII, 1, Gerl. p. XV, form. IV, s. l. et a., sed ad calcem illius interpretationis his verbis instructa: *Bononiae impressum a.* 1472. Contulit eam Gerl., nec tamen sat diligenter.

6) **Katharensis** (Kath.), de qua v. Ern. ap. Ob. p. LX, ap. Bk. p. XXXVII, Rup. p. CXXVIII, 1, Orell. p. 7, Gerl. p. XVI, impressa *Venetiis per Andream Jacobi Katharensem Andrea Vendramino duce fortunatissimo MCCCCLXXVI pridie Kal. Febr.*, form. maj.. Ern. in initio tantum varietatem lectionis indicavit; accuratissime autem Orell. totum libellum cum ed. Pass. comparavit.

7) **Veneta** (Ven.), de qua cf. Gebaueri vestigia juris Germ. antiqui, Gotting. 1776, p. 919 et Rup. p. CXXVIII, 1, fol., impressa *per Thomam Alexandrinum Venetiis Anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo primo die vigesima quinta Novembris.* Tres tantum hucusque notae sunt ejus lectiones a Gebauero l. l. enotatae.

8—9) **Duae edd. Puteolani**, in quibus Germania cum reliquis, quae tunc nota erant, Taciti operibus: Ann. XI-XVI, Hist., Dial. et Agr., conjuncta est, et quidem:

8) **Mediolanensis** (Put. M.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XXXVI, ap. Bk. p. XXV, Walth. p. XXIV, Rup. p. CXI, 2, Dronk. in Agr., p. VI, Walch. in Agr., p. VII, form. max., sine loci quidem, anni et typographi nota, sed haud dubie Mediolani, quum cetera Puteolani opera ibi excusa sint, impressa. Alii anno 1475, alii serius eam in lucem prodisse putant. Habuit eam Ern.; tum Walth. varias ex ea lectiones accuratissime enotavit.

9) **Veneta** (Put. V.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XXXV, ap. Bk. p. XXIV, Pss. p. XIII, Wth. p. XXV, Rp. p. CXIII, 6, Dronk. in Agr., p. VI, Walch. in Agr., p. VII, Gerl. p. XV, form. maj., chart. rom. et typis satis elegantibus. In fine dialogi haec leguntur: *Cornelii Taciti historię augustę: nec nō de situ moribus et populis germanię libellus: ac de oratoribus dialogus foeliciter expliciunt. Venetijs fideliter Impressi ac didiligenter* (sic) *emendati p̲ Philippū pinci sumptibus nobilis viri dn̄i Benedicti fontana. Anno dn̄i MCCCCXCVIj die XXIj marcij etc.*, et in averso folio, sicuti post Agricolam in singulari folio figura extat xylo-

graphica cum literis: *B. F.* Adhibuerunt librum jam Pichena et Ern.; multa ab his praetermissa Pass., Walth. et Gerl. enotarunt, errores emendarunt; equidem id, quod in bibl. reg. Vratisl. exstat et jam a Pass. collatum est, exemplum denuo diligentissime excussi eoque non pauca correxi, in aliis dubitationem solvi.

10) **Monacensis** (Mon.), de qua cf. Pss. p. XIII, Rp. p. CXXVIII, 4, charact. goth., fol. XVIII, Germ. tantum continens et inscripta: *Cornelii Taciti illustrissimi historici de situ, moribus et populis Germanie aureus libellus,* form. IV, haec ad calcem verba exhibens: *Impressum est hoc Cor. Taciti aureum opusculum Lips* (sic) *in aedibus Wolfgangi Monacensis. Anno domini M. D. II.* Primus hanc ed., quae in nostra bibl. regia exstat, Pass. contulit, tum accuratius Hess., sed quod variantes lectiones ad c. 27 tantum in comm. III publici juris factae sunt, eandem ego denuo integram excussi.

11) **Rhagiana** (Rhag.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. LXI, ap. Bk. p. XXXVII, Rp. p. CXXVIII, 5, Germaniam solam continens, edita ab Joan. Rhagio Aesticampiano, Lips. 1509, quaternis. Habuerunt eam Long., Ern., Oberl., postremum Hss., qui longe accuratissime eam contulit, sed lectionis varietatem ad c. 27 tantum vulgavit.

12) **Riviana** (Riv.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XXXVII, ap. Bk. p. XXV, Walch. Agr., p. VII, Hss. C. III, p. IV, Wth. p. XXVII, Rp. p. CXIII, 7, omnia Taciti opera continens et inscripta: *Cornelii Taciti historici gravissimi disertissimique fragmenta accurate recognita ac nova censura castigata. Joan. Rivius recensuit.*, impressa *Venetiis per Joannem Rubeum Vercellensem* 1512, *XX Jul.*, fol., cum brevi editoris praefatione. Ab Ern. paucis locis adhibita haec ed. primum diligenter ab Hessio ad Germaniam collata est, sed lectionis varietas ad c. 27 tantum vulgata.

13) **Viennensis** (Vienn.), de qua v. Pass. p. XV, Rup. p. CXXVIII, 7, inscripta: *Cornelii Taciti veridici historici de situ Germanie et incolarum: ut secla olim ferebant: moribus libellus lectu dignissimus. Conradi Celtis Protucii poete fragmenta quedam de iisdem scitu admodum utilia. Omnibus diligenter revisis et castigatis.*, foll. XXII formae IV minoris, nitide impressa. In fine autem haec leguntur: *Impressum est hoc opusculum accurata diligentia Joannis Singrevii Chalcographi. Vienne Pannonie mense Januarii MDXV.* Postrema pagina figuram quandam xylographicam ostendit Leonardi Alantse nomine instructam. Primus editionem contulit Pass., cui bibl. reg. Vrat. suppeditaverat; omissa quaedam Seebod. excerpsit et ad Rup. misit; accuratius etiam Hss. libellum comparavit, sed ex ea quoque ed. hucusque ad c. 27 demum variae lectt. in Comm. III prolatae sunt. Quapropter equidem denuo editionem excussi.

14) **Beroaldina** (Ber.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XXXVIII, ap. Bk. p. XXVI, Walch. in Agr., p. VII, Walth. p. XXVI, Rp. p. CXIII, 8, form. max., nitidissime impressa *per Magistrum Stephanum Guillereti de Lotharingia, Tullensis dioeceseos, Romae a.* 1515 *Kal. Mart., Leonis X Pont. max. anno secundo,* cum titulo: *Publii Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi atque cum reliquis ejus operibus, quae prius inveniebantur, editi.* Hunc librum Ern. et accuratius Walth. ad Germaniam contulerunt.

15) **Frobeniana** (Frb.), de qua cf. Hess. Comm. III, p. IV, foliis 42 non signatis, form. 8 min., s. l. et a., inscripta: *P. Corn. Taciti De moribus et populis Germaniae libellus. Cum commentariolo vetera Germaniae vocabula complectente.* Hess. varias hujus ed. lectiones in Comm. III publicavit, sed tantummodo ad c. 27 usque; eidem ante a. 1519 editio in lucem videtur prodisse.

16) **Schumanniana** (Sch.), de qua cf. Hss. l. l., foliis 24 non signatis, forma quaternaria, eodem paene titulo, quo antecedens editio, instructa. Commentariolo praefationem ad Zinglium suum Joannes Frobenius, doctus ille typographus Basileensis, praemisit. Quum Frobenius a. 1527 moreretur, ante hunc annum praefatio illa scripta sit oportet. Hucusque variae hujus ed. lectiones ad c. 27 demum ab Hessio promulgatae sunt; quapropter equidem totum libellum, quum bibl. reg. Vrat. mihi suppeditaret, accurate contuli.

17—19) **Edd. Rhenani**, et quidem

17) **Ed. Rhen. minor** (Rhen. min.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. LXI, ap. Bk. p. XXXVII, Hss. C. I, p. V, Rp. p. CXXIX, 9, continens solam Germ., pagg. 79, forma 8, a. 1519 m. Maio Basileae apud Froben. a Rhen. in lucem emissa. Inde a pag. 45 commentariolus sequitur vetusta Germaniae populorum vocabula paucis explicans et obiter alia quaedam. Hanc ed. Hessius l. l., quum Ern. paucas tantum ejus lectiones adnotationibus suis inspersisset, cum Passovii ed. accuratissime contulit.

18) **Ed. Alciati** (Alc.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XLIII, ap. Bk. p. XXVIII, Dronk. in Agr., p. VI, Walch. ib., p. VII, Walth. I, p. XXVII, Rup. p. CXIV, 10, Hess. C. I, p. V, nitide impressa Basileae in officina Joan. Frobenii mense Aug. a. 1519, form. max., cum hac inscriptione: *P. Cornelii Taciti eq. Ro. Historia Augusta actionum diurnalium: additis quinque libris noviter inuentis. Andreae Alciati Mediolanensis in eundem annotationes. De situ, moribus et populis Germaniae libellus: eodem Cor. Tacito auctore. Ejusdem dialogum etc. Cn. Julii Agricola uita; per eundem.* [27] Minus accurate inspecta ab Ernestio,

---

[27]) Minores igitur libellos non solos continet haec ed., ut concludas

denuo haec ed. ab Hessio et Walth. collata est. Mihi quidem in indice Germaniae editionum propterea, quod Rhenanus nostrum libellum paullo ante seorsim ab ipso editum in hac quoque ed. recognovit, saepius correxit et in Elencho ea potissimum, quae ad res Germaniae pertinent, indicante illustravit, Rhen. editionibus adnumeranda haec videtur nec tamen vulgare nomen: ed. Alciati, quod Ern. libro dedit, Hss., Walth., Dronk. retinuerunt, quum opera quamvis levis in toto opere impensa eo significetur, cum Rupert. mutandum.

19) **Ed. Rhenani major** (Rhen. maj.), de qua cf. Ern. ap. Ob. p. XLIV, ap. Bk. p. XXIX, Dronk. p. VII, Walch. p. VIII, Walth. p. XXVIII, Rup. p. CXV, 12 et 16, Hss. Comm. I, p. V, omnia Taciti opera continens, Basileae in officina Frobeniana a. 1533 form. max. impressa. Longum editionis titulum Walth. et Rup. l. l. dederunt. Initio operis thesaurus exstat constructionum et locutionum et vocum Tacito solemnium, citatis etiam ex Livio plerumque testimoniis; denique Alciati et Beroaldi notae et praefationes ex ed. Alc. a. 1519 adjunctae sunt. Insunt ad unumquodque Taciti scriptum castigationes textui praemissae. Collata est ed. ab Ern., Walth., Pass., postremo accuratissime cum Pass. ed. ab Hessio. — Eadem, sed minus pulchra forma editio a. 1544 repetita est, quae mihi quidem praesto fuit.

20) **Edd. Lipsii** (Lips.), de quibus cf. Ern. ap. Ob. p. XLVIII, ap. Bk. p. XXXI, Walth. p. XXIX-XXX, Rup. p. CXVI, 20 et CXVIII. A quo decies Taciti opera edita sunt, primum Antverpiae in offic. Plant. a. 1574, 8., monitione ad lectorem praemissa et adfixis textui notis, quibus lectionum varietas et emendationum ratio explicatur, postremum ibid. a. 1607, fol., notis textui subjunctis. Titulum Walth. et Rup. exhibent. Contulerunt edd. Lipsii Ernestius, Pass., Walth., alii, modo negligentius, modo diligentius. Quinque mihi quidem ad manus fuere edd. Lips., et praeter illas quidem supra laudatas eae, quae Antv. ap. Christ. Plantinum a. 1585 fol., a. 1598 Lugd. Bat. ex off. Plant. ap. Franc. Raphel. 8., Antv. ex ead. off. ap. Joan. Moret. in lucem prodierunt. [28])

---

ex Kaemmereri verbis in Dissertatione: *De indole ac pretio codd. Mss. Tac. Agric. et edd. vett. ad Lipsium usque, Vratisl. 1842, p. 56.*

[28]) Edd. Junt., Ald., Gryph., Viteberg., Melanchth., Argent., al. hoc loco praetereo, quod omnino, quae post a. 1519 in lucem prodierunt, edd. vett. tantummodo ad priores edd., imprimis Rhen., impressae sunt, nullam igitur vim habent ad contextum restituendum.

Ad extremum nonnulli libri afferri possunt, qui hic illic ab editoribus laudantur: codex Rhenani, cod. vel lib. script. vel lib. vet. Lipsii, libri vett. Pichenae, lib. vet. Is. Vossii, ed. vet. Abr. Gronovii, cod. vet. Groslotii, cod. quidam Longolii, cod. Bredovii, cod. Mirandulanus, qui quales fuerint fuerintne revera, partim jam vidimus (cf. de Pich. p. 2 fin.), partim infra, quantum fieri potest, conabor explicare.

CAPUT II.

DE ORIGINE CODICUM.

A quo viro, unde quoque tempore libellus de Germania denuo in lucem relatus sit, quo fonte nostri ejus Mss. nitantur, omnia ea usque ad novissimum tempus ignota erant. Anno 1841 demum editione Trossii p. VII edocti sumus in codice Periz. duas exstare notas, in quibus non solum ejus, qui libellum invenerit, nomen afferatur, sed etiam quo tempore id factum sit quoque loco, appareat. In priore nota alteri primi folii pagellae inscripta Jovianus Pontanus, praeclarus ille literarum adjutor, qui, ut Massm. l. l. affert, a. 1426 natus, primum secretarius fuit Ferdinandi I, regis Neapolitanorum, postea ibidem procurator regni factus est et a. 1503 decessit, se ipsum *hos libellos nuper adinventos et in lucem relatos ab Enoc Asculano, quanquam satis mendosos* a. 1460 Martio mense exscripsisse dicit. Accuratiorem etiam nuntium altera Pontani nota accipimus ad initium libelli Suetoniani i. m. codicis minio adscripta, qua illum Enoc Asculanum temporibus Nicolai V, pontificis maximi, in Galliam et inde in Germaniam conquirendorum librorum causa profectum hos libellos *quanquam mendosos et imperfectos* paulo post obitum Bartholomei Facii, viri Pontano familiaris, qui et ipse de viris illustribus aetatis suae libros composuerit, propter immaturam mortem vero hos Suetonii libellos videre non jam potuerit, in lucem retulisse cognoscimus. Quod quum Barthol. Facius, ut Tiraboschi in Storia della letteratura (Fiorenz. 1809), VI, 734 affert, a. 1457 mortuus sit, Pontanus autem jam a. 1460 codicem exscripserit, intra annos 1457 et 1460 illos libellos inventos esse perspicuum est neque assentiri Massmanno l. l. possum, qui ante mortem Nicolai V, igitur ante a. 1455 eos repertos esse propterea conjicit, quod in nota Pontani scripta ad Germ. 46, 4 verba: *di. Nicol.* leguntur, quoniam haec verba nihil aliud significant, nisi jam mortuum fuisse Nicolaum, quum Pontanus adnotationem illam adscriberet. Pariter Ritschlius in Mus. Rhen.

a. 1843, IV, 2, p. 615 intra annos 1447—1455 codicem detectum esse censet; sed in illa nota profectus quidem esse temporibus Nicolai V, invenisse vero codicem paullo post Barth. Facii mortem certis verbis Enoc Asculanus dicitur. Itaque non est, quod annum, quo Bartholomaeum mortuum esse Tiraboschi dicit, in dubitationem vocemus. — Locus vero, ubi codex ille inventus est, Germania videtur esse, quum Enoc Asculanus e Gallia hanc in terram proficisceretur, sub finem autem itineris sui, quod jam Nicolai V temporibus inierat, hos libellos videatur detexisse.

Jam per se planum est omnes nostros Germaniae codd. ex hoc exemplari fluxisse; ad liquidum vero res perducitur codicum nostrorum indole. In cunctis enim codd. dialogi de oratt. sub finem c. 35 magna est lacuna, et pariter nullus Mss. Suetoniani libelli de rhett. vitas illorum, qui in indice reliquis adjunguntur, undecim rhetorum continet. Deinde non paucis locis omnes Germaniae codd. Mss. et edd. vett. eadem ratione depravati sunt, cujus rei causa haud dubie in communi eoque corrupto jam fonte quaerenda est. Sunt autem hi praecipue loci, quos falsos esse aut omnes aut nonnulli certe editores jam elocuti sunt vel receptis aliis lectionibus concesserunt: [29])

C. 6 *galee* in omnibus libris exstat, excepto T., qui recte *galea* habet e correctione, quae non unica in eo est [30]); primus veram lectionem restituit Rhen. a. 1533, bene dicens occasionem errato dedisse priorem sequentis vocabuli *equi* literam, attractione igitur ortum esse errorem.

C. 12 in omnibus Mss. et edd. *pro modo poenarum* legitur, pro quo Acidalius (cfr. Val. Acid. et M. A. Mureti notae in C. Taciti opera, Hanoviae 1607, 8. et Paris. 1608, fol., vel J. Fr. Gronovii editio, Amstelod. 1635, 4.) *pro modo poena* vere conjecit, quod Ern., Brot., Bip., Oberl., Bk., Bred., Seeb., Wch., Rp., Gerl. et Wssh. amplexi sunt. Facillime autem *poena* in *poenarum* corrumpi potuisse unusquisque concedet, quum vel duo sequentes numeri pluralis genitivi vel antecedentia verba: *pro modo,* quae genitivum postulare viderentur, mutationis causa fuisse queant.

---

[29]) Longum est hoc loco omnes eorum, qui scripturas librorum contortis plerumque explicationibus defenderunt, sententias argumentis refellere; corruptos hos locos esse mihi quidem persuasissimum est.

[30]) Cf. c. 7 *nec exigere* pro: *aut. exig.*, antecedente *nec,* c. 24 *defecerint* pro: *defecerunt,* c. 26 *et vocabula* pro: *ac voc.*, c. 29 *conteruntur* pro: *contemnuntur,* c. 34 *claudunt* et c. 45 *clauduntur* pro: *cludunt* etc., c. 35 *si res poscat, exercitus plurimus virorum* etc. pro: *si res poscat, exercitus, plurimum viror.* etc., c. 37 *non Samnites* pro: *non Samnis,* qui locus nostro simillimus est, quum statim: *non Poeni* sequatur, c. 4 *ac in splendid.* pro: *atque* etc., et *commendamus* pro: *ostendamus,* c. 42 *jus et potentia* pro: *vis et pot.*

C. 20 *tanquam et in animum* exstat in omnibus Mss.: P. L. H. teste Long. (*inanimum* s. S.) St. N. Vabcd. Ag. V. T. Vi., et edd. usque ad Rhen. min., exceptis cod. M. et edd. Par. et Vienn., qui libri *in* omittunt, vel casu vel emendatione, quum tales mutationes saepius his in libris occurrant.[31]) De hoc loco satis neglecto paullo longiori esse mihi liceat. Lectionem librorum solus omnium editorum Kiesslingius tuitus est, *in animum* per: *quod attinet ad animum* explicans et delegans ad Sen. ep. 99, p. 15 ed. Bip.: *ita nihil perdidit ille nisi aleam in damnum certiorem* et ad peculiarem usum praepositionis *in* cum accusativo apud Tacitum a Walchio in ed. Agric., p. 355 explicatum. Languere hanc interpretationem jam Hess., Comm. III, p. 25, intellexit, qui tamen sensisse magis quam cognovisse rem videtur, dicens: *in* (pro *ad*) vix hac significatione reperiatur. Nam quae Walch. ibi monet, attingere rem, non expedire jam Handius in Turs. III, p. 315 animadvertit, qui verius *in* illa, qua Kiessl. vult, significatione tum usurpari dicit, cum voces eo conjungantur, in quibus notio utilitatis, potestatis, gratiae, similitudinis etc. obtineat. Nomen igitur quoddam, seu substantivum sive adjectivum, vel adverbium in ejusmodi sententiis exstat, quae praepositione *in* cum accusativo tantummodo accuratius definiuntur. Qualis ipse Senecae locus est a Kiesslingio allatus, nisi quod, ut Hand. ibid., p. 316 affert, praepositione simul finis s. eventus notio exprimitur. Kiesslingii igitur interpretatio non apta est, alia vero ratione explicari locus non potest. Itaque emendationem necessariam esse apparet, et primus ejusmodi conatus in ed. Alc. et Schum. nobis occurrit, in quibus editum est: *tanquam et ii animum etc.*, quod Hess. in Comm. I laudat. Sane *in* et *ii* saepissime in codd. confunduntur, veluti ap. Tac. in Ann. 1, 28 et Hist. 3, 82, quanquam, ut Walth. (cui Hss. quoque in Comm. III astipulatur) bene animadvertit, rectius fortasse *hi*, quod Hist. 1, 76 cum *in* confusum est et ad literarum tractus praepositionis *in* arctius accedit, hoc loco etiam propter sensum se haberet; sed quominus ea emendatio vera habeatur, collocatio particulae *et* impedit, quum *ii*, quia ad verbum *teneant* utrumque accu-

---

[31]) Cf. c. 13 *magna et comit. aemul.* pro: *magnaque* etc., c. 31 *obligatum* pro: *obligatumque* et *ignavis inbellibus* pro: *ign. et inb.*, c. 40 *mortalium* omiss. post: *conversatione*, in M., qui nonnullas alias etiam lectiones continet, in quibus, quum ceteri codd. consentiant, librarius sensum magis, quam verba respexisse videtur, ut c. 16 *nec pati quidem* pro: *ne pati quid.*, c. 37 *castra et spatia* pro: *cast. ac. sp.*, c. 39 *efficiunt* pro: *efficitur*, c. 42 *saepe pecunia* pro: *saepius pec.*, c. 43 *ut alienis* pro: *ut alienigenis* et c. 45 *indurescente materia* pro *dur. mat.*. De edd. Par. et Vienn., in quas illa lectio aut eodem ex fonte, quum quodammodo cum M. cohaereant, aut emendatione editorum, quum non paucis locis solae mutationes exhibeant, haud dubie illata est, v. cap. IV.

sativum, et *animum* et *domum*, regens pertinet, ante prius *et* collocandum fuisset. Quod intelligens Rhen. postea, a. 1533, edidit: *tanquam ii et anim.* etc., ex quo haec lectio in omnibus edd. usque ad novissimum tempus remansit, exceptis edd. Bachii et Gerl., qui uncis *ii* incluserunt. Haec res sane mira est. Kiesslingii quidem contra hanc emendationem rationes, quae Hessio, Comm. III, p. 25, arridebant, me non movent, quum *et animum firmius et domum latius tenere* non solum de iis, qui obsides acceperunt, sed etiam de obsidibus ipsis bene dicatur. Sane, si illi hic intelligerentur, putida immissio esset pronominis *ii;* sed quis *ii* hic de illis intellexit? Obsides autem propter id ipsum imperantur, ut ad fidem praestandam conferant, igitur animum propinquorum obligent et teneant. Sed alia causa adest. Etiamsi enim *et ii* ex *et in* oriri potuisse concedatur, quomodo *ii et*, ubi plane ex arbitrio ordo verborum permutatus est, ex *et in* ortum sit? Propterea ne hanc quidem emendationem [32]) probare possum. Nec tamen magis ratio ea placet, qua Bch. et Gerl. locum sanare conantur. Uterque enim uncis *ii* inclusit ut ex emendatione Rhenani ortum eoque lectionem codicis M. et edd. Par. et Vienn. revocavit non aliter explicandam. Particulam *in*, quippe quae in omnibus fere codd. locum teneat, plane ejicere non licet, perperam autem Gerl. *in* ex repetitione literae *m* ortum et postea transpositum esse dicit. Pariter Hess. l. l. *in* ejiciendum censet, quoniam salvo sensu pronomen abesse possit, melius quidem *in* ex antecedentibus verbis: *et in accip.* ortum esse explicans. Errat autem vehementer Gerl., cum, pronomine omisso, dubium esse dicat, ad quemnam verbum referendum sit: a nullo tamen hoc ad eos relatum iri, qui obsides imperant; immo, ut Bach. recte fecit, verbum *teneant* tum ad idem, quod in *exigunt* valet, subjectum est referendum. Dubitat quidem Bach., num hic locus corruptus vel potius mutilatus unquam in integrum restitui possit. Attamen novam loci hujus sanandi rationem argumentis confirmare conemur! Si enim, retenta quidem codicum lectione nec tamen respecta, ex grammatica constructione verba *exigunt* et *teneant* ad idem subjectum *(Quidam)* referimus, actio obsides exigendi idem in tempus incidere videtur, in quod persuasio majoris fidei eorum, quibus obsides imperantur. Id vero

---

[32]) Quod Gerl. in enotanda lectionis varietate dicit *tanquam ii et animum* codices F. B. A. confirmare videri, ea levitas est vix ferenda. Codd. Arund. et Bamb., ut Harl., perpaucis locis comparati sunt; unde autem colligi potest in magna prioris temporis socordia? E codice Flor. autem haud dubie propterea varietatem Massm. non enotavit, quod eandem, quam omnes alii, lectionem praebet. Neque haec negligentia eo tollitur, quod ille addit: sed de his quoque incertum, quum emendatione Rhenani *ii* ortum esse sequentibus Gerl. ipse afferat. Cf. alia ejusmodi exempla in adnot. 19.

fieri nequit, quum de horum fide tum demum persuasum iis esse possit, quum obsides non modo exegerunt, sed et acceperunt. Quod quum, qui obsides imperant, jam ipsa exigendi actione animum firmius et domum latius se tenere arbitrari nequeant, desidero equidem vocem quandam, qua temporis diversitas exprimatur, veluti *tum*, *deinde* et sim. Talem accuratiorem definitionem accipimus, si verba codicibus tradita: *et in*, una litera mutata, in: *exin* emendamus. *Et* particula enim cum *ex* et pariter *et inde* cum *exinde* saepius a librariis confunduntur; cf. Hand. Turs. III, p. 662 et 540, neque aliter in ipsa Germania c. 46 *exionas* et *etionas* orta sunt. A Tacito vero pro *exinde* semper brevior forma *exin* usurpatur; cf. Hand. l. l. p. 666 et sqq. exempla, sicuti non raro etiam *dein* et *proin* pro: *deinde* et *proinde* ab eo dicitur, cf. Bött. lex. Tac., p. 148. Ad significationem quod attinet, secd. Hand. l. l. primum de loco usurpatur, ut Ann. XV, 12, et in enumeratione: Ann. II, 16; frequentior vero est usus de tempore et de rebus alias excipientibus, ut idem, quod *deinde*, *quo facto*, *tum*, significet, quare saepe in narratione rerum gestarum invenitur. Cujusmodi exempla sunt: Ann. III, 36; IV, 4; XII, 22; XIV, 48; XV, 17, 29 et 64, sicuti in enumeratione: Ann. XI, 2. Nostro quidem loco non res gestae, sed res, quae geruntur, a Tacito narrantur, igitur res describuntur, sed ut Germ. c. 11 dicitur: *mox rex vel princeps — audiuntur*, et c. 13: *ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae*, porro ibidem: *tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater etc. — juvenem ornant*, ita etiam *exin* in descriptione usurpare liceat, et praesens tempus tribus, quos attuli, locis: Ann. IV, 4; XV, 29 et 64, sicuti participium praesentis Ann. XI, 2 cum hoc adverbio est conjunctum. Similis denique locus, quo statim post *tanquam* adverbium positum est, c. 39 exstat: *tanquam inde initia gentis*.

C. 21 porro in fine sine ulla varietate in omnibus libris: *Victus inter hospites comis.* legitur. Quae verba neque eo, quo sunt, loco, nec, si transponantur, bonum sensum praebere, contra eos, qui locum defenderunt, affirmo. Quamobrem aut cum aliis pro glossemate habenda aut cum aliis emendanda ea esse censeo. Trium vero conjecturarum Sellingii l. l., p. 18: *Vict. int. hosp. communis.*, Trossii in excurs., p. 47 sqq.: *Vict. int. omnes pariter communis.*, et Lachmanni: *Vinclum inter hospites comitas.*, quam Mssm. l. l. communicavit, alteram maxime probo, quam secutus ipse, paucis mutatis: *Vict. int. eos pariter communis.* propono; cf. praeter ea, quae Tross. l. l. disputavit, c. 3 init.: *apud eos*, et similiter c. 2, 3 et 5, 5: *apud illos*.

C. 28, 3 codd. variant inter *a boiis*, quod P. m. l., St. s. M. *(boys)* N. Vad. V., et *a bois*, quod L. H. M. Vbc. Hj. et ed. Nor. exhibent, nisi quod in H. et Vc. *ab ois* (in H. s. S., *Boiis* s. Lg.)

exstat; sed ut in seqq. *Boi* secd. antecedentem corruptelam *a Bois* pro *Osi* in L. H. i. m. s. S. *(Boii* s. Lg.*)* et St. i. m. s. Gerl. (i. t. s. M., sed *Boy*) scriptum est, ita in antecedentibus *a boiis* vel *a bois* in *ab Osis* secd. sequentem lectionem *an Osi* in P. m. 2, in Vb., in quo: *(et ab Osis)* post *a bois* additum est, in T. s. ed. Pss., Vi. s. ed. Gron., St. i. m. s. M. et in edd. Par. Vienn. Sp. sqq. bene correctum. Solus Longol. *a Bojis* et *an Boji* recepit, jure ab Oberl. propterea vituperatus, quum tam ex lectione: *an Osi* plurimorum librorum consensu confirmata, quam ex c. 43, ubi idem populus commemoratur, corruptela satis eluceat, Boji autem hoc ipso cap. paullo ante Gallica gens dicantur. Corruptionem Bach. bene eo explicat, quod verba: *ab Osis* in unum vocabulum censet confusa esse, unde librarius, cui ex praecedentibus Boii obversarentur, *a Boiis* finxerit. — Sed alia etiam ratione hunc locum depravatum esse cum Pss. Dilth. Tb. Thiersch. Grb. Wssh. persuasum habeo, etiamsi Wch. Bk. Rp. Kssl. Wth. Bch. non assentiuntur et Hssium quoque in Comm. I p. 30 Passovio se obediisse poenituit. Sequentia enim verba: *Germanorum natione* haud dubie glossema habenda sunt. Tacitus ipse c. 43, ut jam Pss. et Grb. attulere, Osos a Germanis discernit, dicens: *Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos et quod tributa patiuntur*, eademque, quae est inter Germanicam linguam et Osorum, diversitas nostro loco, ubi de Osis et Araviscis loquens, uter ab utro populus in sedes suas migraverit, scriptor dubitat, verbis: *cum eodem adhuc sermone — utantur* eandem utriusque gentis stirpem indicantibus certo significatur. Verba si retineas, mira ratione explicare coactus es, sin ejicias, pulchra existit orationis concinnitas, quod tum in utraque interrogationis parte singulis singulae voces respondent.

Tum eodem cap., § 4 *Neruli* in codd. H. s. S. (m. rec. s. Lg.) St. (s. Os. m. 2: *Ver.*) N. Vacd. L. M. V. T. Vi. legitur. Antiquae literarum N et H, n et h formae facillime commutari poterant, quapropter P. *neruli* (*h* sprscr.) exhibet et in quatuor aliis Mss. *h* pro: *n* scriptum est; in F. Ag. Hj. enim *heruli*, in Vb. *Herculi* exstat.[33]) Pauci tantum Mss. s. Mssm. l. l. i. m. habent: *alij Nerui* aut: *Legendū Nervi.* Edd. vett. uno consensu usque ad Rhen. *Neruli* praebent; primum in edd. Rhen. min., Alc. et Schum. adnotatum est: *leg. Nervii,* et in ed. Rhen. maj. *Nervii* receptum, quae emendatio levi mutatione effecta ab omnibus seqq. editoribus jure retenta est; cf. historicas editorum explicationes.

Deinde § 5 in omnibus, quos quidem novimus, codd. Mss. *Nubii quidem* legitur, et quidem in P. (iterum *h* sprscr.) L. H.

---

[33]) Codd. F. Vb. Ag. Hj. arctius inter se cohaerent, ut videbimus.

s. S. (rec. m. s. Lg.) St. T. et Mssmi codd. s. Gerl. (V. et s. ex. Vabcd. et s. Br.); Vb. i. m. s. Mssm. habet: $\overset{e}{c}$ (i. e., ut mihi quidem videtur: corrige) *Ubii* (ap. Gerl. falso: *vel Ubii*); in Vi. *Nu* interlitum est et eadem manu *V* superscriptum, et i. m. P. quoque codicis pallidiore atramento (m. 2.?) scriptum exstat: *Vbij.* Edd. vett. Nor. Rom. Sp. Kath.: *Nubii quidem*, edd. Put. Mon. Par. Vienn. Ber. Alc. Rhen. Lips. al.: *Ubii quidem* praebent. Correctionem tantum hanc scripturam esse, unusquisque intelligit. Longolius quidem acriter eam defendit, sed necessario negandi particulam hic requiri jam Lips. et I. Fr. Gron. jure affirmant et optime demonstrant. Quapropter ille ante: *erubescunt* particulam *non* inseruit, ex Passovii sententia, quantum ad sensum, bene; meo tamen judicio illud *quidem* tum non bene explicari potest: hic cum Grutero rectius librorum lectionem: *Nubii quidem* in: *Ne Ubii qu.* mutat, quam correctionem omnes hucusque editores ut veram receperunt praeter Trossium, qui, quod vett. librarii aspirationem et omittere et addere solerent, literam *N* in *Nubii* cum Longolio ex *H* litera explicat et, quanquam Gruteri emendatio veritatis speciem prae se ferat, ubi in hoc loco corruptissimo corruptela lateat, nondum satis constare putat. Mihi quidem in Gruteri emendatione parva etiam mutatio videtur facienda. Gerl. enim lectionem *Nubii* ex *NEUBII* explicat; tum vero litera *E* plane ejecta esset. Quamobrem levior etiam correctio est, si, quum *nec* per compendium $\overset{c}{n}$ (ut in P. c. 20 in verbis: *nec ancillis*) scriberetur, emendes: *Nec Ubii qu.*, quod tum literae *N* et *U* inter se contingunt, litera *c* vero spl. scripta facillime extincta esse potest. Hac ratione etiam sententia cum antecedentibus arctius conjungitur. Novi quidem, quae Reisig. in schol. § 325 dicit; sed cf. etiam Haasii, V. CL., adnotationem 497, et mihi quidem apud seriores scriptores dictio: *nec — quidem* nihil habet offensionis.

C. 36 porro *nomine superioris* in omnibus paene codd., P. H. St. s. M. et Os. Vabcd. s. Br. V. s. ex. (*nomen* tamen pro: *nomine*) Vi. et edd. Nor. Rom. Par. Sp. — Mon., *nomine superiores* in St. s. M. (*e* spl. posito, m. rec. s. Os., e contrario *superiores*, *i* spl. s. G.) et T. exstat. Neutram harum lectionum probari posse et Gruberus demonstravit, et per se perspicuum est; quare ego emendationem inde ab edd. Vienn. et Beroald. (cf. infr. cap. IV) omnibus probatam et a multis interpretibus, veluti a Pss., Grb., Wth. bene defensam recipiendam esse censeo.

Sequ. cap. *M. quoque Manlio* in Codd. St. s. M. et G. P. L. Vad. s. Br. V. s. ex. (*M. Manlio* s. Gerl. falso, ut videtur) T. Vi. et in omnibus edd. vett. legitur, nisi quod *Marco* in St. s. Os. P. Vad. L. et edd. Nor. Rom. Par. Vienn., ex quibus cod. L. et edd.

Nor. Rom. etiam *Mallio* habent, *Manilio* in Vi. exstat; deinde *Marcoque Manlio* H. F. Ag. Vbc. et s. G. ad. Hj. (hic *Mque Manilio)*, *Marco Manilio* N. praebent. Omnibus igitur libris Mss. edd.que videmus praenomen *M.* confirmari, id vero *gentis Manliae decreto* plane repugnat post Manlii Capitolini supplicium facto, quo *cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur*; cf. Liv. VI, 20; Plut. II, p. 285; Quintil. 3, 7. Qua re moti plerique editores pro: *M. quoque Manlio*, quod jam Freinsh. in: *C. quoq. Manl.* mutaverat, quia Tacitus decretum illud ignorare nullo modo potuit, aliis autem locis, ubi idem Manlius commemoratur, varia lectio *Cn.* extat, *Cn. quoque Manl.*, Bekk. et Ritter. [34]) *Gnaeo quoq. Manl.* receperunt; nonnulli contra, ut Seeb. in Bibl. crit. a. 1819, p. 301, Vir doctus in hujus nova bibl. crit. a. 1825, p. 212, Wth., Bch., Trss. *M.* s. *Marco* retinendum censuere; Bch. vero solus *Marcoque* edidit. Hss., qui in ed. Passovium secutus erat, in Comm. II praenomen *M.* non mutandum dicit, et Gerl., in ed. tom. I codicum lectionem retinens, in tom. II, p. 209 ad mutationem se inclinat. Quis est autem, quin intelligat, quanto facilius sit leve in codd. vitium ponere quam Tacitum, auctorem in rebus exquirendis curiosissimum, erroris, quem Eutropio sane concedere cum Pss. minus dubites, in illo autem ne Wth. quidem admittere audet, noxium judicare, aut opiniones commenticias et ipsius loci causa inventas, omni igitur auctoritate carentes proferre. Quodquum in Liv. epit. 67 codd. inter *Cn.*, *C.* et *M.* fluctuent et ap. Sall., Jug. 114 s. Gerl. duo certe codd. non *M.* praebeant, crebra igitur horum praenominum confusio, quam Drak. ad Liv. l. l., Cort. ad Sall. l. l., Duk. ad Flor. 3, 3, Ern. in Clav. Cic. p. 202 s. Pss. (p. 175 s. Walth.) et Oberl. in nota ad h. l. satis probavere, extra omnem dubitationem ponatur; quum porro *Cn.* in Oros. hist. 5, 16, ed. Fabr. (s. Gerl. certe C., sed pro: *Manlius*, quod in paucis est, *Manilius*), in inscriptione ap. Gruter. CCVII, ap. Orell. n. 3697 (s. Bch. P. RUTILIO. GN. MALLIO), in nummis s. Wth. et Gerl. (cf. Rasche, lex. Num. III, 1, p. 1 et 174), in Fastis Consular. et in Pighii Annal. III, p. 245 s. Gerl. exstet, idemque praenomen etiam Cic. Planc. 5, Muren. 17, de orat. II, 17 s. Ern. in Clave l. l. et Orell. codicibus satis confirmatum sit, non dubitandum videtur, quin hoc quoque loco *Cn.* s. *CN.* pro *M.* legendum historiaeque major fides cum Pss. habenda sit, quam membranis, praesertim quum librarii in servandis veris praenominibus omnino non satis diligentiae adhibuisse videantur; cf. veluti locum a Grb. laudatum: Cic. Verr. Act. 1, 9, 27 ed. Zpt., ubi codd. *Q. Metellus*

---

[34]) Doleo, quod hujus viri doctissimi editionem (Bonn. 1836, 8.) non ipse inspicere potui.

pro: *L. Met.* exhibent. De diversitate lectionum *Manlius, Mallius* et *Manilius* parum curanda hic taceo.

Praeterea c. 38 omnes codd. et edd. vett., quantum scimus, exhibent: *retro sequuntur* praeter Ag. et Hj., in quibus *sequentur,* et Vc., in quo *sequente* exstat, quae utraque lectio nonnisi depravatio est ipsius formae *sequuntur.* Codd. enim illi et praecipue Ag. et Hj. saepius in depravatis lectionibus consentiunt, ut infra videbimus, lectio: *sequente* autem similitudine terminationum *ur* et *e* nititur, quarum compendia inter se simillima sunt; cf. e cod. Per. c. 3 *affectat*^{s}, c. 10 *consulet*^{9}, c. 25 *regnāt*^{2}, c. 28 *sepent*^{s}, ex ed. Mon. c. 25 *exequunt˜* et ex ed. Vienn. c. 2 *ad̄vehebant̃*, c. 42 *paciunt̃*, contra e Periz. c. 2 *mutar̃*, c. 28 *tenuer̃*, c. 42 *manser̃*, et similiter c. 2 *peter̃t*, c. 21 *r̃cipitque.* Paene eadem confusio est c. 24 in eodem cod. Vc. et in St. spl.: *miretur* pro *mirere.* Quamobrem *sequuntur* librorum lectio est habenda. E difficillimis autem hic locus est variisque virorum doctorum vel explicationibus vel conjecturis tentatus. Sed dum illae plerumque aut inanes sunt aut certe mira subtilitate scatentes grammaticae novas leges, notiones novas vocibus obtrudunt vel majorem audaciam prae se ferunt, difficultatem igitur non tollunt, hae partim nimis longe ab lectionis tractibus recedunt, partim ineptum sensum praebent. Quodquum ne Trossiana quidem emendatio: *retro agunt,* quae omnium optima est, ad scripturam librorum propius accedat, aliam, quae mihi in mentem venit, conjecturam proponere liceat: *retro rectum habent,* in quibus verbis compendium: *ꝛecτūhn͠τ,* quum literae *r* et *s* in longobardica scriptura saepius vix distinguantur, lineola super *u* ducta et superiore *h* literae parte extinctis, facile in *sequuntur (ſequun͠τ)* corrumpi poterat, praesertim quum signum ~ super *hnτ* positum pro terminationis *ur* signo a librario potuerit haberi. De conjunctione verborum: *capillum retro rectum habere* cf. in sqq.: *Principes et ornatiorem habent.* Quod ea ipsa verba mox sequuntur, non obstat, quum saepius apud Tacitum talia inveniantur; cf. Rup. tom. IV, Ind. Latin. p. 837, ubi non pauca afferuntur exempla, quibus eadem verba paene inter se contingunt, et similem locum Agric. c. 30: *Priores pugnae — subsidium in nostris manibus habebant, quia — oculos quoque — inviolatos habebamus,* ubi non minus proprie dictio illa intelligenda est, quam nostro loco. Ad sensum vero emendationem hanc pariter bene quadrare, intelligas ex hac loci interpretatione: Bei den Sueven trägt man bis ins hohe Alter das starrende Haar rückwärts gerichtet (aufwärts gestrichen), und oft bindet man es grade auf dem Scheitel zusammen, sc. *in altitudinem quandam et terrorem.*

C. 40 deinde codd., St. H. N. P. Vabcd. M. F. Ag. V. T. Vi., omnesque edd. vett. usque ad Alc.: *dicatumque in ea* exhi-

bent; in una ed. Par., teste Hssio, invenitur: *dicatumque* *i n e o.* Quam lectionem, posteaquam Rhenanus *in eo* conjectura assecutus est (cf. infr. c. IV), seqq. editores inde a Pichena, qui copulam *que* a Rhen. omissam ex ed. Put. V. denuo restituit, uno consensu receperunt, et Gerl. quoque, quanquam librorum consensus notabilis ei videtur, necessariam hanc emendationem habet. Sed accuratius in rem inquirenti in ed. Par. illa lectio non minus illata demum tibi videbitur, quum et operarum negligentia permulta in eam irrepserint menda et editoris emendatione saepius verba mutata sint (cf. infra c. IV et jam supra p. 30), lectio *in eo* igitur haud dubie in alterutro mutationum genere referenda sit. Quodquum codicum scriptura *in ea* locum habere nequeat, quod eadem cogitatio, quae jam in verbis: *in insula Oceani* inest, male repeteretur, quaeritur, num nihilominus emendatio illa in edd. Par. et Rhen. obvia vera sit habenda. Mea quoque sententia non parvam illa, quod aptum sensum praebet, veritatis speciem prae se fert; attamen nonnulla contra eam dici possunt. Nam primum scriptor, quum in ipso nemore positum fuisse vehiculum dicere vellet, probabiliter non: *dicatumque in eo vehic.*, sed mutato ordine: *in eoque dicatum veh.* scripsisset, ut gravior vocibus: *in eo* vis tribueretur; tum, si illam conjecturam reciperemus, duobus participiis, *dicatum* et *contectum*, cum nomine: *vehiculum* sine copula conjunctis, durities quaedam exoreretur. Quibus de causis et quod vett. libri paene omnes formam *ea* praebent, de lectionis: *in eo* veritate dubitanti egregia mihi a S c h n e i d e r o professore, praeceptore dilectissimo, impertita est emendatio: *dicatumque i n t r a*, quam sequentibus equidem argumentis tueri atque confirmare conabor. Sensus enim hujus emendationis, ut recte intelligatur, hic est vernaculo sermone: *innerhalb des* im heiligen Haine *geweihten* engern *Bezirks*, gleichsam des Allerheiligsten. Duae hoc loco dubitationes tollendae videntur, quae forsitan cui inde moveantur, quod nominis notione participium *dicatum* afficitur, praepositio *intra* vero postposita est. Sed cum, ad primum illud quod attinet, ejusmodi dictiones, quales sunt: *verum dicere, dictum cum facto componere, votum facere etc.*, omnino usitatissimae sint, cum jam aurea aetate multa adjectiva genere neutro ita usurpata sint, ut pro substantivis ponerentur, quinetiam iis formis, quibus genus neutrum a masculino non differt (cf. Reis. schol. § 225 cum Haasii adnott.), tum hic usus a poetis et scriptoribus posterioris temporis etiam magis excultus est. Tali modo apud Tacitum numero plurali et adjectiva permulta posita pro substantivis invenimus, veluti Ann. I, I et XV, 14: *prospera* — *adversa*, et praeterea Ann. I, 9; 46; II, 14; 39; III, 54; 55; V, 4. XI, 6. XIV, 54; VI, 33; XI, 15; 17; 26; XII, 15. 40. Hist. II, 66; XII, 32; 57; XIV, 15, et participia, quippe quae adjectivorum vim acceperint, ut Ann. V, 4: *imminentium oblitus*,

IV, 3: *cupitis* et VI, 37: *parata*; nec pauca adsunt exempla, ubi adjectiva et participia, id quod nunc gravissimum nobis est, pro nominibus locum significantibus usurpata sunt, veluti: *aperta* Ann. I, 51. II, 47; *humentia* I, 65; *per humida et impedita* I, 68; *abrupta* II, 55; *plana* IV, 65; *externa* XVI, 23; *avia* Hist. IV, 70; *artiora* et *longinqua atque avia* A. 37. Sed pariter etiam numerus singularis et adjectivorum et participiorum ita positus est, ut substantivorum cum aliorum tum locum significantium vim haec habeant; cf. Ann. IV, 34: *in arto*; II, 47. IV, 7. XII, 15: *in arduo:* IV, 50: *in falsum*; VI, 24: *egregium*; XIII, 46: *abjectum et sordidum*; XV, 34: *triste-providum*; Hist. 1, 18: *ultra solitum*; Ann. I, 69. III, 27. V, 2: *in longum*; IV, 45. XV, 57: *postero*; III, 62: *proximo*; Ann. II, 80. Hist. IV, 23. Agr. 18. 35: *aequum*; Ann. III, 20. H. III, 23. Ag. 36: *apertum*; Hist. III, 16: *medium*; 19: *planum*. Quorum locorum permultis praepositiones cum illis vocibus conjunctas videmus; etiam magis autem substantivi vis eo efficitur, quod aut aliud adjectivum vel pronomen aut genitivus additur. Adjectiva exempli gratia adjuncta reperias Ann. IV, 13: *paternis adversis*; XI, 16: *externis omnibus*; XIV, 53: *secretum Mytilenense*; XIII, 43 et G. 9: *secretum illud*; Hist. 1, 18: *observatum id antiquitus non terruit Galbam.* Loci, quibus genitivi ab ejusmodi adjectivis et participiis pendent, varia ratione explicandi sunt; cf. Reis. schol., adn. 524; Roth. in Excurs. ad Agr. p. 189. Hoc loco equidem talia tantum afferam exempla, quibus adjectivum vel participium totius, quod genitivus in se continet, partem significat. Cujusmodi exempla haec sunt: *amoena Asiae* Ann. III, 7, *litorum* Hist. III, 76; *avia Oceani* Ann. II, 15, *saltuum* 68, *Armeniae* XIII, 37; *prima silvarum* II, 16; *extrema imperii* IV, 67, *Surrentini promontorii* 74; *plana urbis* I, 76, *Umbriae* H. III, 42; *extrema et plana terrarum* Agr. 12; *laeva maris* Ann. II, 2; *laeva ac propiora fluminis* H. V, 16; *proxima maris* Ann. III, 1, *municipiorum* XV, 58, *litorum* H. III, 42; *propinqua Seleuciae* Ann. VI, 44; *media campi* A. 35; *silvarum et montium profunda* A. 25; *intuta moenium* H. III, 76; *occulta saltuum* Ann. I, 61; *prominentia montium* II, 16; *subjecta vallium et resultantis saltus* I, 65; *secretiora Germaniae* G. 41; et numero singulari: *asperrimo hiemis* Ann. III, 5; *extremo anni* VI, 27; *certo anni* H. V, 6; *medio temporis* Ann. XIII, 28, *diei* XIV, 2; *celeberrimo fori* Ann. IV, 67; *diverso terrarum* III, 59; *in prominenti litoris* I, 53; *secretum Asiae* H. I, 10, *Rhodi secreto* Ann. IV, 57; sicuti apud Virg. Aen. I, 310: *in convexo nemorum.* Qua ratione saepissime Tacitum adjectivis et participiis pro substantivis uti vidimus. Nostrum igitur locum considerantes non dubitabimus, quin et hic participium *dicatum* positum sit pro: *dicata pars*, sc. nemo-

ris, qui genitivus ex vocibus: *castum nemus* paulo ante positis facillime intelligi potest. Simillimum nostro locum inveni apud Caesarem B. C. III, 105: *Pergami in occultis ac reconditis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt,* nisi quod hic genitivus, quod ex antecedd. intelligi non potest, adjunctus est. Quam egregie autem ad sensum hic locus cum nostro congruit, quo pariter dicitur: *Attingere uni sacerdoti concessum!* — Altera dubitatio facillime potest dissolvi. Saepius enim Tacitus praepositiones post eam vocem, ad quam pertinent, collocat, veluti Ann. IV, 5: *Misenum apud et Ravennam,* VI, 31: *ripam apud Euphratis*; III, 1: *litora Calabriae contra;* I, 19: *seque coram,* 75: *eo coram,* III, 14: *ipso Germanico coram;* cf. et III, 24. 49. IV, 8. XI, 2. XIII, 32. 38. XV, 24. 61; porro: XIII, 47: *urbem extra;* I, 60: *Amisiam et Luppiam amnes inter;* cf. et IV, 16. 50. 55. 59. 69. VI, 33. 41. XI, 10. XII. 32. XIV, 4. H. II, 78. V, 19. Agr. 31; deinde Ann. II, 41: *Tiberim juxta;* cf. et IV, 5. V, 9. VI, 39. XII, 13. 21. XIII, 15. XIV, 6. XV, 47; tum XI, 28: *quos penes,* ut XV, 1 et H. V, 8; porro Ann. IV, 48: *hostem propter,* ut XIV, 9 et XV, 47; denique XVI, 35: *humum super,* ut H. III, 19; et A. I, 65: *humentia ultra,* ut XV, 17. Talem igitur praepositionum posituram cum saepenumero apud Tacitum inveniri videamus, tum duo etiam exempla exstant ab ipso conjecturae auctore mihi suppeditata, quibus praepositionem *intra* eodem modo collocari posse confirmatur. Haec sunt Ann. III, 75: *praeturam intra,* et IV, 48: *lucem intra.* Itaque non dubito, quin nostro quoque loco hujus praepositionis collocatio bene habeat, praesertim quum hic gravior voci: *dicatum* vis insit, dum in altera illa conjectura verba: *in eo* non efferuntur.

Cap. sequenti statim initio: *pars verborum* in cunctis codd., St. s. M. *(Uborum* s. G., *b'borum* s. O.) H. N. P. Vabcd. M. F. V. Vi. et edd. Nor. Sp. (*vbo*ꝝ) Bon. Kath. exstat praeter T., in quo *nervorum* legitur. *Suevorum* soli codd. Vb. et Vi. i. m. praebent, hic, et haud dubie etiam ille, m. rec., in V. autem sub voce *verborum* tria puncta posita sunt depravationem indicantia. Puteolanus in edd. M. et V. *verborum* ut inane ex arbitrio omisit (cf. de emendatt. ejus infra c. IV et supra c. 28 *Ubii quidem),* id quod tum in edd. Mon. Ber. Vienn. transiit. Et *verborum* et *nervorum* corruptum esse, veram lectionem autem *Suevorum,* quod primum in edd. Alc. et Schum. lectum tum ab omnibus editoribus receptum est, facillime intelligitur. Quum literae *b* et *v* in vett. libris saepissime permutentur, Wtho., Bch., Trss., e *Sueborum,* ut Hist. I, 2 Ms. Flor. teste Vict. habet, lectio: *verborum* orta esse videtur; sed dum Wth. initio hujus vocis compendium quoddam, Bch. literas parum distinctas fuisse accipit, Tss., quum

pars litera *s* terminetur, *Suevorum* ab eadem incipiat, melius e *PARSSUEBORUM*, altero *S* neglecto, lectionem plurimorum librorum ortam putat. Equidem literam *s* in initio vocabuli *Suevorum* cum Gerl. quidem omissam fuisse arbitror, sed non ita, ut scriptum fuerit: *parsuevorum*, sed *psu^e voꝝ* (cf. in cod. P. c. 2 *por^r o*, c. 3 *ter^r aſ*, c. 7 *ciboſqȝ*, c. 33 *mil^t ıa*, c. 39 *a^t qȝ* et *pot^est atē*), quod facile et *ps u'boꝝ*, i. e. *pars verborum*, et *ps n'voꝝ*, i. e. *pars nervorum* (cf. in cod. P. c. 2 *adu'ſuſ*, c. 5 *Int'ıoreſ*, c. 28 *g'manorū*, c. 7 *sac'dotibȝ*, c. 10 *int'ptatus* et supra codicis St. et ed. Sp. lectiones) legi poterat.

C. 42 *peragitur* omnes codd., St. P. L. V. T. Vi., scriptus liber ap. Lips. sive B. (cf. infr. c. IV fin.) et, quantum scimus, ceteri cum plurimis edd. vett., Nor. *(pagitur)* Rom. Sp. Bon. Kath. Mon. tribus Rhen. etc., *pergitur* edd. Put. M. et V., Vienn., Ber., Schum., *porrigitur* ed. Par., *praetexitur* Lips. in edd. posterioribus exhibent. Viri docti his ex lectionibus alii aliam receperunt et explicare conati sunt. At quum tres posteriores lectiones nonnisi emendationes editorum habendae sint, [35]) tum ne unius quidem lectionis explicatio potest probari. Varie, sed infelicissime codicum scripturam editores defendere studebant; aptus sensus ea non praebetur et singulae explicationes ejus partim altius repetitae sunt, partim grammaticae et ipsi vocis peragendi notioni repugnant, nec loci illi, qui a singulis ad confirmandas suas sententias afferuntur, quum alius plane naturae sint, hic quadrant; idem de edd. Put. et Par. lectionibus: *pergitur* et *porrigitur* dicendum; Lipsii autem emendatio *praetexitur* nimis a codicum scriptura recedit. Quibus intellectis, varias jam viri docti fecere conjecturas, Lips. a. 1574 et Ern.: *porgitur*, Bred.: *praetenditur*, Heinsius in Advers. (cf. ed. Bk.): *perrigatur* vel *tergitur*, Hess.: *peragratur*, quae omnes aut ex iisdem, ex quibus librorum lectiones, vitiis laborant aut certe a codicum scriptura longius discrepant; quae vero ab editoribus Bipontinis prolata et ab Ob., Bk. in ed. min. et Lünem. recepta est emendatio: *protegitur*, quanquam compendium ejus: *ꝓtegıtur* ad lectionis *peragitur*: *pagıtur* propius accedit, tamen non magis placet. Ad tuendam conjecturam

---

[35]) Cf. his de edd. infra c. IV et similes illos, de quibus jam supra egi, locos, veluti de Put.: c. 28 *Ubii quidem* et c. 41 *pars*, omisso *verborum*, de Par.: c. 20 *tanquam et anim.* c. adn., c. 28 *ab Osis*, et *Ubii quidem*, c. 40 *dicatumque in eo*. Lipsius quidem: Scriptus liber *peragitur*. Malc. Quidam *pergitur*. Nec id tam probe. (sc. quam illud, quod i. t. est: *praetexitur*), unde colligas fortasse e libro quodam hoc fluxisse; sed v. infra.

locus Ann. XV, 41: *porticibus, quae frontem insularum protegerent,* ab iis affertur. Sed si verbum protegendi primitiva significatione: vorn bedecken hic accipiamus, id omnino non dici de Danubio potest, quippe qui non editiorem locum obtineat, et haud dubie saltibus vel montium jugis frontem protegi Tacitus dixisset; sin translata vi: beschützen id verbum positum hic esse sumamus, notioni *frontis* id repugnat, in qua, quum anteriorem Germaniae partem significet Romano imperio e regione sitam atque adversam, praesidii notio jam inest. Incolae enim illius regionis hostili semper animo Romanum imperium adspiciebant et ad impetum omni tempore parati erant, quamobrem Romani, quum saepius cum iis pugnare cogerentur, perpetuo eos timebant; singulare igitur praesidium, quod Danubius fluvius praebuerit, hic significare non aptum est, immo verbis: *quatenus Danubio peragitur* nihil aliud, nisi terminum afferre scriptor vult, quo usque illa Germaniae frons pertineat. Videmus ergo ne conjecturis quidem locum sanatum adhuc esse; quapropter aliam mihi liceat emendationem proponere: *praecingitur.* Ad palaeographiam quod attinet, illa vox per compendium *p̄c̄igıτur* scribebatur; jam si duae lineolae super literis *p* et *i* ductae tempore extinctae erant, scriptura: *pcigıτur* remanebat, quae facillime *pagıτur* legi poterat et, quum haec nulla vox esset, in: *pagıτur* est mutata. Verbum autem praecingendi non raro a scriptoribus tali ratione usurpatur; cf. Colum. de re rust. X, 347: *Sepe suas sedes praecinxit vitibus albis.,* Manil. Astron. III, 307: *medius recto praecingitur ordine mundus.,* Prop. IV, 4, 7: *fontem vallo praecingit acerno.,* Claud. Bell. Get. 298: *Ararin praecingere castris,* Ov. Met. XIV, 638: *Vallis Aricinae silva praecinctus opaca — Est lacus.,* Sil. Punic. III, 243: *Sicanio praecinxit litora muro.,* et similem nostro locum in Plin. N. h. II, 66 (66): *Tellus-praecincta circumfluo mari,* et V, 40 (32): *praecingitur gens mari.,* quin etiam cum voce *frontis* conjunctum in Ov. A. Am. I, 223: *Hic est Euphrates praecinctus arundine frontem.,* i. e.: *Euphratis frons arundine praecinctus est.,* ut nostro loco: *Germaniae frons Danubio praecingitur.,* quae sententia conclusio est verborum: *Eaque - praecingitur.* Quam emendationem si accipias, omnia optime se habent. Tum enim *Germania,* ut opus est, sententiae adjunctae subjectum cogitandum est neque aliud quidquam voce *Danubio* indicatur, nisi terminus ejus partis, quae *frons* vocatur; praepositio *prae* composita cum simplici verbo cingendi, quod Tacitus ipse similiter c. 45 usurpat: *mare pigrum et prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem - fides* egregie hic quadrat, quod Tacitus de anteriore Germaniae parte loquitur; totum autem verbum praeclare cogitationem depingit, quum Danubius cingulum esse cogitetur australem Germaniae partem complectens.

Denique c. 43 *Legiorum* in codd., St. s. M. et G. N. P. Vad. M. V. s. P. T. Vi. et edd. vett., Nor., Rom., Par., Sp., Bon., Kath., Put. M. et V., Mon. (haec non: *legionum*, ut Pass. notavit) et Vienn. exstat pro: *Lygiorum*, quod Beroaldus omnesque seqq. editores receperunt praeter Bachium, cui *Ligiorum* reponendum videtur, quod in P. spl. et F. exstat, dum *Legiorum* in Vb. s. Br. in *Vegiorum*, in Vc. in *Leugiorum* depravatum est. *Ligiorum* et *Lygiorum* emendationes esse ex proximo accusativo *Lygios* s. *Ligios* factas facile intelliges.

Eodem autem cap. etiam: *alii* in codd. omnibus, St. H. N. P. M. (in hoc tamen *alys)* F. Ag. Vabcd. V. s. ex. (non *arii*, ut Gerl. affert) T. Vi. et in edd. vett., Nor. Par. Sp. Bon. Kath. pro: *Arii* legitur, quod i. m. cod. T. exstans et in cod. Vi. ex: *alii* correctum inde a Put. in omnibus edd. locum tenet, nisi quod Tss. sequens ipsius codicis P. scripturam in proximo accusativo *Harios* obviam *Harii* exhibet.

Hi igitur loci sunt, quos jam in codice archetypo, ex quo omnes nostri codd. fluxerunt, corruptos fuisse accipere licet; sunt vero etiam alii loci, quibus scripturam ita comparatam fuisse perspicuum est, ut facile ad errores occasionem darent. Sed de his infra demum (v. Cap. III fin. et Cap. VI) poterit disputari.

CAPUT III.

DE NEXU CODICUM MSS.

Quanquam omnes Germaniae codd. uno eodemque fonte niti multosque locos jam in cod. archetypo corruptos fuisse vidimus, tamen nostri codd. non eadem omnes diligentia descripti sunt et saepius plures libri inter se ita consentiunt, ut de communi eorum origine minime sit dubitandum, immo ex eadem eos familia fluxisse satis appareat. Quem codicum nexum sequentibus enucleaturus, singulas singularum familiarum lectiones, statim eo ordine afferam, qui ipsarum indole praescribitur. Primum igitur ad eandem familiam pertinent.

Codd. Stuttg. et Humm., in quorum utroque c. 6: *quod primum* (in St. s. M.) pro: *qu. primo* legitur, c. 10: *tenent* (in St. spl. s. M. et G., m. 2. s. Os.; in H. et s. H.) pro: *temere*, quod in St. s. M. inductum, s. Os. *teme'* scriptum, c. 24: *expectantium* (in St. s. M. et Os.) pro: *spectant.*, c. 29: *bathi* (in St. i. m. s. M. et G.) pro: *Batavi*, quod in H. ab ead. manu i. m. correctum est, c. 43: *Siburi* i. m. (in St. s. M., sprscr. *al.*) pro:

Osi, Buri, quod i. t. est; aliae, quae quidem non plane eaedem in ambobus libris sunt, lectiones eundem tamen fontem non minus indicant, veluti c. 13: *robor*, quae lectio in St. s. M. et Os. obvia haud dubie eadem in exemplari illo fuit, ad quod uterque codex referendus est, ut in H. i. t.: *rubor*, i. m. vero: *robur* librarius, quid verum sit, nescius scribere posset; porro c. 14, ubi verba: *superstitem principi suo*, in St. in: *sup. principes sui* s. G. corrupta, in H. in: *superstite principe suo*, lineola super *e* in voce: *superst.* inducta, et s. H. emendata sunt; denique c. 45, ubi pro:

ebetet et

hebetet sonum in St. *habet „ son.* [36]) s. M. et Os. exstat, unde Hummeliani lectio: *hebetet et son.* originem traxit. — Praeterea arctius cohaerent

2) Codd. Neap. et Vatic. c., qui lectiones has soli exhibent: c. 25: *exequantur* pro: *exsequuntur*, c. 28: *commigraverunt* pro: *commigraverint*, c. 30: *raro excursus* pro: *rari exc.* [37]), c. 40: *invehi propriis* pro: *inv. populis*, ubi compendia *‚pplis* et *‚ppriis* s. *‚ppⁱis* confusa sunt; denique c. 44: *nec promiscuo* pro: *in prom.*

3) Codd. Long. et Vat. d.; cf. c. 16: *populatio* pro: *populatur*, c. 18: *parata arma* pro: *data arm.*, ubi Vd. adeo:

data

data, parata arm. praebet, quod ex *parata* ortum; c. 34: *magnum* pro: *magnificum*, c. 42: *Trudi* pro: *Tudri*; porro c. 11: nec *injussi* pro: nec *ut jussi*, c. 18: *sic viventes, sic parientes* pro: *sic vivendum, sic pereundum*; c. 40: *Veudigni* pro: *Reud.*

4) Codd. Periz. et Vat. a., qui uterque, ut in indice codicum allatum est, Germaniam, Suetonii de viris illustribus libellum et Dialogum tantum continet, eandemque verborum c. 25: *Liberti – argumentum sunt*, quae in fine demum c. 26 occurrunt, transmutationem praebet. Praeterea multis in lectionibus consentiunt; cf. c. 6: *et quidem* (in Va. s. Mssm.), quod Pontanus, linea, quae per *q* ducta erat, erasa et syllaba *em* punctis subnotatis sublata ipsaque inducta, in: *et quod* emendavit; c. 10: *istos conscios* pro: *illos consc.*, nisi quod Va. s. Mssm. *isto* praebet; c. 17, 3: *Ferunt.* (in Va. s. Mssm.), ubi tamen in P. pallidiore atramento

---

[36]) Haec scriptura, quae eadem haud dubie in proximo utriusque cod. fonte fuit, ita exorta videtur, ut *hebetet* primum legeretur: *habet*, terminatio *et* vero postea demum insereretur, tum accuratiore inspectione aut emendatione vera lectio restitueretur.

[37]) Gerl. hic Venetum addit, qui tamen s. ex. Pss. *rari* exhibet.

G spl. exstat; c. 25: *ministris*, quod rursus in P. pall. atram. spl. in *ministeriis* emendatum; c. 28: *qui pari* (in Va. s. Mssm.), ubi item pall. atram. in P. spl. *quia* per compendium scriptum est; c. 31: *noscendi* pro: *nascendi*, quod in Va. s. Mssm. spl. (*ul a* / *noscendi*) exstat; c. 35: *nam immensum* pro: *tam imm.*; c. 36: *fusi*, ubi tamen in P. pall. atram. et alia, ut Tross. putat, manu *o* spr. *u* scriptum; c. 40: *Veusdigni* pro: *Reud.*; c. 45: *abluuntur* (in Va. s. Mssm.) pro: *alluuntur*; c. 46: *et pecudum* (in Va. s. Mssm.), quod in P. rursus pall. atram. in: *et peditum* correctum; porro c. 2: *etiam* (pro: *et*) *a se ipsis*; c. 14: *tuentur* pro: *tueare*; c. 22: *ad hec* pro: *adhuc*; c. 35: *maluit*, quod tamen a Pontano in *malint* et tum puncto subnotato in: *malit* mutatum; c. 42: *virtute parata* (in Va. s. Mssm.) pro: *v. parta*; tum c. 40: *Neithum* (in Va. et s. Mssm.), ubi tamen denuo P. pall. atram. *r* spr. *i.* exhibet. [38]) Ad horum codd.

---

[38]) Difficilis est quaestio de multitudine lectionum vel potius correctionum codicis P., ex quibus nonnullas hic afferre debebam quasque postea demum scriptas esse pallidiore atramento docemur. Dubium est enim, utrum hic codex per Pontanum ipsum emendandi causa postea iterum recognitus sit an sequenti tempore a quopiam correctus. Trss. nonnullis locis de alia manu loquitur, ut c. 6, ubi *in* ante: *immensum* suppletum demum est; c. 21, ubi in voce: *poposcerit* vir doctus *t* ab inepto quodam interpolatore, erasa *s* litera, adpictum putat; c. 30, ubi in verbis: *ac deponit* super *ac* alia manus *atque* superscripsisse ei videtur; cf. etiam supra c. 36: *fusi* (*o*). Qua re vir doctus eam in sententiam adductus sit, sane nescimus; sed c. 37, ubi codex primitus *ppli. ro.* exhibuit, ex atramenti colore interpolatrice manu *i* in *o* mutatum esse conjicit, et duobus locis de alia etiam manu dicit, quae saeculum XVI prodat: c. 3, 4, ubi post: *nominatumque* nullum in textu lacunae signum est, in margine tamen, cruce apposita, *deest* adscriptum invenitur, et c. 6, 5, ubi super *cũcto* exstat: *quncto*. Pro eadem sententia fortasse etiam duo loci poterunt afferri, quibus lectiones postea mutatas esse Trss. dicit: c. 13, 3, ubi in lectione *Cũ in ips. conc.*, signo apposito, *Tum* insertum est et *Cum* in *eum* mutatum, et c. 46, ubi *pecudum*, quod manifesto scriptum fuisse apparet, in *peditum* correctum. Ac revera complures in eo exstant lectiones, quae in posterioris temporis codicibus aut edd. solis inveniuntur, cf. c. 15: *habent mira*[m] *diversitate*[m] *ne*, c. 20: *quo major*, c. 28: *diuisas* (*ver*) et *arauisci* (*n*), c. 34: *cl*[a]*udunt*, c. 45: *estiorum* (*eflu*). Huc accedit, quod in adnotationibus hic illic margini pall. atram. adscriptis, quae aut argumentum indicant aut dictiones quasdam notabilis continent, interdum etiam locos explicant, omnino autem ad sublevandum conspectum scriptae videntur, non solum literarum forma alia saepius, atque in textu est, et singula verba aliter scribuntur vel notis a Pontano non adhibitis exprimuntur (cf. c. 11, 2: *Incohat*², i. t.: *inchoatur*; c. 46, 7: *Illaborar̄*, i. t. *inlab.*; c. 7, 2: *auc tas*, i. t. c. 12: *autaſ*, c. 11: *aute*; c. 34, 3: *hculıs*,

similitudinem jam Weissenbornius in Seeb. Ann. XXXIII, 1, p. 42 et Massm. l. l. animum attenderunt.

5) **Codd. Mon. Flor. Ang. Vat. b. Harl.**; cf. c. 29: *honeribus* in M., *honoribus* in F. pro: *oneribus;* c. 40: *armata* pro *amata* in M. F. Vb.; c. 38: *obtinet* pro: *obtinent* in M. Ag.; c. 46: *sennorum* in M., *fesimorum* in F. Ag. Vb. (sed et hi mox: *sennosque*), *Senorum* in Hj. pro: *Fennorum;* c. 28: pro: *meruerint* in M.: *meruerunt,* quod continuata corruptione F. Ag. Vb. in: *inuenerunt* mutavere; c. 34: *Dulciboni* in F. Ag. Vb. Hj., ubi in ceteris *Dulgibini* etc. legitur; c. 35: pro: *Chaucorum* in F. Ag. Vb.: *caneorum,* Hj.: *caueorum;* c. 41: *Hermundororum* pro: *Hermundur.* in F. Ag. Vb., qui et in sequentibus: *Hermundoris* habent, *Hermumdorum* in Hj.; c. 42 pro: *Marobodui* in F. et Hj.: *Marobodetui.* Praecipue vero F. Ag. Vb. innumeris locis, id quod jam ex his ipsis variantibus conjicere licuit, pari modo corrupti sunt. Sic in F. et Vb. cap. 3: *Fuisse et ap. eos Herc.* pro: *Fuisse ap. eos et Herc.* legitur; c. 31: *simul suis, que* post *suis* omisso; c. 39: *cesosque publ. homine* pro: *caesoque etc.,* ubi F. i. m. correctione *vel ceso* exhibet; c. 45: *omnium quique* pro: *omniumque;* porro in Vb. et Ag. c. 2: *Suenos* pro: *Suevos;* c. 31: *namque canent* pro: *iamque canent;* c. 34: *Rheno praetereuntur* pro: *Rh. praetexuntur;* c. 39: *vetustissimosque* pro: *vetustissimos se;* tum omnes tres c. 2: *vocati sunt* pro: *voc. sint;* c. 7: *imperitante* pro: *imperante;* c. 9: *id quod* pro:

---

lineola per superiorem literae *h* partem ducta, contra i. t. c. 5: *Int'iores* etc. (cf. p. 40), et c. 4: *Audntia,* per *d* literae partem superiorem ducta lineola, contra i. t. c. 29 ex. gr.: *m̃te*), verum etiam nomina propria alio modo, atque i. t. (cf. c. 29, 1: *Batauij,* i. t.: *Batavi;* c. 35, 1: *Cauci,* i. t. *chauc';* c. 37, 1: *Cymbri,* i. t. *Cimbri;* c. 41: *Hermanduri,* i. t.: *Hermunduri;* c. 42, 1: *Varisci,* i. t. *Naristi*) scribuntur; denique quod Va. eas lectt., quae in P. primitus scriptae erant, solas exhibet, quod in P. illa cap. 25 verba falso collocata ad illud ipsum caput (cf. Trss.) pariter pall. atram. adscripta sunt, id cum alio exemplari collatum libellum esse prodere mihi videtur. Sed etiam pro altera opinione nonnulla afferri debent: quaedam enim lectt. in nullo alio libro inveniuntur, ut c. 8, 1:
v
nobiles, quod sane etiam Nic. Heinsius (cf. Bk. p. 678) proposuit; c. 28, 4:
h *t*
bo iemĩ / nom̃, c. 39, 4: *parẽtia,* ubi *t* jam paene deletum est, et c. 43, 6: *truci, s* litera quae in fine posita erat, per lineam deleta, ni forte eae omnes correctiones sunt ex ingenio profectae, ut c. 28 i. m.: *Osis* et *Vbij.* Priorem igitur sententiam pluribus et gravioribus rationibus confirmari videmus; fortasse et Pontanus et posteriore tempore alius quis codicem correxerunt. Sed exspectemus, quid Mssm. ipse, qui codicem viderit, hac de re prope diem sit disserturus.

illud qu.; c. 14: *princeps pro vict. pugnat* pro: *principes p. v. pugnant*; c. 16: *in nostri morem* pro: *in nostrum mor.*; c. 20: *non ancillis, non nutric.* pro: *nec anc. nec nutr.*; *juventas* pro: *juventa* et *plus*, omisso antea *quanto*; c. 21: *recipit satisf.*, *que* post *recip.* om.; c. 22: *nec astuta* pro: *non ast.*; c. 30: *nonnisi* pro: *nec nisi*; c. 31: *Jam ne in pace quidem* pro: *Nam ne in p. qu.*; c. 34: *referri* pro: *referre*; c. 35: *populus autem Germanus* pro: *populus inter Germanos*; *mavult* pro: *malit*; *appellantur* pro: *populantur*; *assequentur* pro: *assequuntur*; c. 36: *vagantur* pro: *vocantur*; c. 38: *partem Germaniae* pro: *G. p.* et: *quam* (s. Mssm. in F.: $\overset{a}{q}$, in Ag.: $\overline{q3}$) *in commune* pro: *quanquam in comm.*; c. 39: *Semnone* pro: *Semnones*; *nemo enim* pro: *nemo nisi*; c. 42: *ad nostram memoriam* sine: *usque*; c. 43: *Marsigini* pro: *Marsigni*, et: *quod trib.* sine: *et* ante: *quod*; c. 44: *neque libertini quidem* pro: *ne lib. qu.*; c. 45: *proprie immotum* pro: *prope imm.*; porro: *extremus calens* pro: *extr. cadentis* et: *ut fama* pro: *et f.*, tum: *formam aprorum* pro: *formas apr.* et: *credendum* pro: *crediderim.* Aliae scripturae in his tribus libris obviae certe tam similes sibi sunt, ut non minus communem fontem indicent. C. 2 enim pro: *Tungri* Vb. et Ag.: *totungri*, F.: *titungri* exhibent; pariter pro: *Mannum* et *Manno* Vb.: *mannum* quidem, sed *magno*, F.: *magnum* et *magno*, Ag.: *magnum manum*; c. 15: pro: *cum iidem* Vb. et Ag.: *cum iisdem*, F.: *cum hisdem*; c. 18 pro: *magis laudaveris* Vb.: *magis laudas*, Ag.: *magis laudis*, F.: *majoris laudis*; c. 31 pro: *Chattorum* Vb. et Ag.: *cunctorum*, F.: *cactorum* [39]); c. 34 pro: *visum* F.: *invisum*, Vb.: *invisus*, Ag.: *invisis*; c. 40 pro: *populis* Vb. et Ag.: *populos*, F.: *populus*; c. 44 pro: *Suionum* Ag.: *Suivonum*, Vb.: *Suivorum*, *e* spl., F.: *Senevonum*, et c. 45 omnes tres: *Suivonas* pro: *Suionas.*

6) **Codd. Arund. et Bamb.**; cf. c. 3: *mentis concentus* pro: *virtutis conc.*; c. 4: *propterea* in A., *perpetuam* in B. pro: *propriam*, lectiones compendiorum: ꝑpt'ea, ꝑpetuā et ꝑpriā confusione ortas, et in utroque: *corpora tantum* pro: *magna corp. et tant.*, ubi in B. etiam verba: *ad impetum* in: *impetu* corrupta sunt; c. 12: *qui vita per pagos vicosque excellunt*, pro: *qui jura p. p. v. reddunt*, in utroque, nisi quod in A. etiam *vicosque* mutatum in: *et vicos*; c. 16: *fimo operiunt* pro:

[39]) In Gerlachii editione codici T. quidem lectio: *cactorum* tribuitur; sed quum a nullo eorum, qui codicem T. contulerunt, illa scriptura enotata sit, haud dubie F., i. e. Flor., quippe qui cum Vb. et Ag. et alias congruat, pro T. est intelligendus.

fimo onerant; c. 18: *non uxor,* om. *marito;* praeterea c. 1: *Arnibae* in A., *Anribae* in B., ubi ceteri aut *Arnobe* aut *Arbone* praebent, et c. 11: *nec ut jussu* in A., *nec jussu* in B. pro: *nec ut jussi.*

7) **Codd. Ven., Tur. et Vind.**; cf. c. 27: *peroperosum* pro: *operosum;* c. 30: *coonerant* pro: *onerant;* c. 39: *cohaerent* pro: *coeunt;* c. 45: *liquantia* pro: *liquentia* in omnibus tribus codd.; porro c. 28: *Germaniae originis* pro: *Germanicae orig.* certe in V. et Vi.; c. 46: *Bastranas* pro: *Bastarn.* in T. et Vi.; c. 32: pro: *ut cetera* in iisdem: *ut extera* (in T. certe s. Os. m. l., ut c. 43: *quam extere* pro: *qu. ceterae.*; s. K. quoque nunc: *ut extat* hoc loco in eo legitur); pariter c. 28: *Aranisci* in Vi., *Aramisci* in T. pro: *Aravisci;* c. 45: *efluorum* in T. et Vi., nisi quod ille s. Or. (non s. K.) *effluorum* praebet et in hoc quoque pro litera *e* signum ,, quod correctio alius literae non jam perspicuae videtur esse, i. m. autem *ęfflij* m. 2 exstat, dum plerique (et H. s. ed. Tb.) *Aestyorum*, vel duntaxat N. Vacd. F. *Aestiorum,* contra *estiorum* St. spl. s. M., m. 2 s. Os. (m. 1 *Aestorum)* P. Ag. Vb. s. G. *(Aestyorum* s. Br.*)* exhibent. — Deinde in omnibus tribus c. 39: *adducit auct.* scriptum est pro: *adjicit auct.*, et in Vi. adeo *auctorem* pro: *auctoritatem;* c. 43: *ejus numinis nomen Alcis* (et in T. s. K.; ap. Or.: *ejus nominis numen A.*, errore typographico; cf. c. 15: *aimicis* pro: *amicis,* et c. 45: *in nullo uso* pro: *in n. usu*) pro: *ea vis numini: nomen Alc.;* in T. certe et Vi. c. 2: *quidam autem lic. vet.* pro: *quidam ut in lic. vet.*, quod St. s. M. H. s. ed. Tb. P. Vad. s. Br. V. s. ex Pss. A. praebent, nisi quod in hoc, ut in St. s. G. *ut lic.*, omisso *in,* exstat. — Porro in omnibus tribus c. 31: *frontes* legitur pro *frontem;* c. 34: *Chasuari* (in V. s. ex. Pss., in T. s. edd. P. et Ob., in Vi. s. ed. Gron.) pro *Chasuarii*, quod H. St. s. G. M. Ag. Vb. praebent et corruptae scripturae: *Chasudrii* in N., *Occasuarii* in Vc. s. Br., *Casuarii* in F. et Hj., *Thasuarii* in P. (nisi quod in hoc *Tas.* scriptum est) Va. et d. s. G. *(Tasuari* quidem s. Br.*)* confirmant; pariter c. 1: *septimum enim os* pro: *sept. os,* c. 3: *hodie* (in V. s. ex P.) pro: *hodieque,* et c. 2: *genus sit* pro: *genus est;* c. 45: *gignit* pro: *gignat;* in T. autem et Vi. (s. G. et in V.) c. 1: *erumpit* pro: *erumpat,* quod in cett. codd.: St. H. et s. H. N. P. Vabcde. M. F. Ag. V. s. ex Pss. exstat; porro in iisdem duobus libris *junior* pro: *juvenior,* quod cett. codd., ut St. s. M. et G. H. s. Lg. L. P. V. s. ex. Pss., exhibent; tum c. 34: *seu adiit* (in V. s. ex Pss.) pro: *sive adiit;* certe in T. s. K. et V. s. ex P. c. 42: *et deinde* pro: *ac deinde,* et c. 46: *pariter et fem.* pro: *pariter ac fem.*. Item c. 7: *ululatus feminarum* pro: *fem. ulul.* in omnibus tribus exstat, in quibus etiam

c. 1: *plures* pro: *pluris*, c. 43 pro: *Gotini*, quod St. s. S., M. et G. (sed *Cotini*) H. P. Vabcd. F. Ag. praebent, *Gothini* (in Vi. s. ed. Gron.) scriptum est, haud dubie mendo librarii, ut eodem cap. St., etsi *Gotini* bis in eo legitur, mox: *Gothinos* s. G. (*Gottinos* quidem s. M.), et tres illi codd. ipsi: *Sarmathae* pro: *Sarmatae* (in V. s. ex. Pss., in T. s. Or. et K., in Vi. s. Hss.) exhibent. — Denique huc pertinent c. 37, ubi V. s. ex Pss., T. s. edd. Ob. et Pss., Vi. s. ed. Gr. et P. correctione: *populo Romano* habent, dum *populi Romani* St. s. G. N. P. m. l. Vacd. et s. Br. b., sicuti F. praebent; c. 39, ubi tres illi codd. (V. s. ex. Pss., Vi. s. ed. Gr.) *est* post: *prolapsus* omittunt; c. 40, ubi iidem libri: *multa veneratione* pro: *multa cum ven.* exhibent; porro c. 42: *manserunt* in V. s. Pss. ex., in T. s. edd. Ob. et Pss., in Vi. s. ed. Gr., dum ceteri, quantum scimus, P. H. St. s. G. Vabd. M. F. Ag.: *mansere* praebent; in V. et Vi. autem c. 15: *sed publice* (in V. s. Pss. ex.), pro quo ceteri libri, ut St. s. M., G. et Os. P. A., *sed et publ.* praebent; c. 21: *jus hospitii* pro: *jus hospitis*, in V. s. Pss. ex. (s. G. quidem: *jus hospitis*), in Vi. s. ed. Gr., et in omnibus tribus c. 20: *quo major*, sicuti in P. correctione, dum in ceteris: *tanto maj.* invenitur.

(Altera et major pars dissertationis alia via publici juris fiet.)

THESES.

1) Ingeniosius quam verius Massmannus in annalibus, qui inscribuntur: Jahrb. f. wissensch. Kritik, 1841, n. 87. statuit illud exemplar, ex quo codex Perizonianus Taciti Germaniam, Dialogum de Oratoribus et Suetonii de vir. ill. libellum continens descriptus sit, cum priore Flor. cod. Tac. Annalium unum volumen effecisse, sicuti eundem Periz. pro exemplo archetypo nobis esse.

2) Falso Wernsdorfius Calpurnii locum: Ecl. II, 85 sq. explicat, verbis: *vestigia sequor* tactum significari dicens (cf. Hess. Varr. lectt. et obss. in Tac. Germ., II, p. 23).

3) De Thegani Vita Hludowici imperatoris contra Pertzium in Mon. Germ. II, p. 585 haec contendo:

a, Minorem natu filium nobilis familiae Theganum fuisse e cap. 3 concludi nequit.

b, Cap. 57 ita interpungendum: *qui adhuc imitator filiorum est suprascriptorum, qui natum juniores fuerunt.*

c, Opusculum sub fin. a. 836 Theganus composuit.

d, Loci c. 55 et 57, quos postea demum ex arbitrio additos esse Pertzius dicit, Thegano debentur.

e, Neque Einhardi Annalibus Theganus usus, neque ejusdem Vitam Caroli Magni imitatus est.

4) Ars critica fundamentum est cujusque doctrinae.



VITA AUCTORIS.

Natus sum Ernestus Adolphus Robertus Tagmann, fidei evangelicae addictus, a. d. XVII. Cal. Jun. anno huj. saec. vicesimo altero Olsnae patre Friderico vestitore, matre Elisabeth e gente Reichiana. Primis literarum elementis in patria imbutus sum schola, cujus principem praeceptorem nunc jam defunctum, *Klinkertium*, virum praestantissimum quique cum institutione tum magna erga me benevolentia optime de me meritus sit, imprimis nominare debeo. Nam quum pater carissimus mihi puero septimum annum agenti praematura morte ereptus esset, eo suasore, a librario patrii oppidi, ut libros circumferrem, acceptus sum, quo negotio inde a decimo anno ad quartum decimum usque fungens curas matris dilectissimae quodammodo sublevare poteram. Interim, auctore Eduardo fratre, puer undecim annos natus in gymnasii patrii, cui tunc *Koernerus*, V. Cl., praeerat, disciplinam receptus, literarum studio me dare consilium ceperam. Frater de salute mea sollicitus ex ipsius tenui reditu pretia gymnasio debita tam diu solvit, donec ei contigit, ut stipendium *Kospothianum* mihi prospiceret, cujus certe in gymnasio per quadriennium alterum particeps eram. Inde a. huj. saec. XLI. maturitatis testimonio instructus gymnasium reliqui, ex cujus praeceptoribus optime de me meritis *Kiesewetterum* jam defunctum et *Kampmannum*, nunc gymnasii Elisabethani hac in urbe professorem, *Bredovium* et, qui Koernero successerat, *Langium*, VV. DD., nominare liceat. Vratislaviam tum ad hanc almam literarum sedem migravi et, Gauppio rectore magnifico, inter cives academicos receptus, nomine apud philosophos dato, intra quadriennium scholis interfui virorum DD. Cll. *Schneideri*, *Ambroschii*, *Haasii*, *Stenzelii*, *Kutzenii*, *Röpellii*, *Branissii*, *Neesii ab Esenbeck*, *Wildae*, *Frankenheimii*, *Jacobii*, *Kahlertii*, *Raebigeri*, *Behnschii*, *Casparii*. Quibus omnibus quantum debeam, semper grato cum animo lubenter profitebor. Praeterea autem mihi contigit, ut per septem semestria et seminarii regii philologici, quod Ill. VV. *Schneidero* et *Ambroschio* directoribus floret, exercitationibus et historico-criticis a *Stenzelio*, V. Ill., tum privatissime tum in seminario regio, cui ipse moderator, habitis interessem. Magnopere exquisita horum VV. Ill. doctrina, quam privatis quoque sermonibus mihi obtulerunt, in stu-

diis me promotum, cognitionem amplificatam, mentis aciem auctam ea esse ipse melius scio atque sentio, quam verbis exprimere possum. Tum *Kutzenius* quoque et *Roepellius*, VV. Cll., exercitationum historicarum, quas instituerunt, sodalitatem mihi benigne permiserunt, et intra parietes prudentibus me consiliis instruxerunt, ex quibus pariter non parvam cepi utilitatem. Nec praetereunda mihi est magna erga me liberalitas VV. Cll. *Haasii*, *Guhraueri*, aliorum, qui, quum multa mihi impertirent benignitatis signa, tum comibus sermonibus ad studia mihi erant exhortatores. Quorum omnium VV. DD. benevolentia quam suaviter affecit, literarum venustas ac dignitas mihi monstrata quantopere erexit juvenilem animum rebus adversis adflictum! Morbis enim tenacibus non modo ipse bis interpellatus sum, verum etiam matris saluti meae pro viribus consulentis labante valetudine perpetuo sollicitatus, multaeque propinquorum mortes, quum duo fratres in iisque ille ipse, qui mihi parentis loco fuerat, praeterea soror pluresque affines dilectissimi fato inexorabili erepti mihi sint, vehementer me perculerunt.

Nec tamen defuere, qui egestate oppressum me cognoscentes condicionem meam sublevarent; et quum ex aerario publico beneficia seminariis destinata et peculiaria in me conferrentur, tum *Amplissimus philosophorum ordo* eo me sibi devinxit, quod stipendium *Jungnitianum* duos in annos mihi impertiit; singularibus autem gratiis nominandi mihi sunt *Ambroschius* et *Stenzelius*, VV. Ill., qui pro sua humanitate privatis quoque beneficiis insignem erga me benevolentiam praestiterunt. Praeterea non possum, quin Viris quibusdam excellentissimis in patrio oppido versantibus, *Cleinovio*, judicii ducalis praesidi, omnibusque, qui tunc erant, collegii in eodem tribunali sociis, tum *Cleinovio* filio, judicii urbani directori, et, quem jam attuli, *Langio*, gymnasii directori, gratias agam quam maximas, quod in aliquod certe tempus stipendiis tributis aegritudinem meam mitigarunt; neque unquam ex mente mea benevolentia discedet viri humanissimi *Mülleri* mercatoris, qui aliquando me, unde victum quaererem, nescium paratissimo animo adjuvit. Omnium horum aliorumque, qui de me optime sunt meriti, memoriam pio semper animo tenebo. Hoc quidem tempore, fautoribus *Haasio* et *Frankenheimio*, VV. Cll., hac in urbe munere fungor domestici praeceptoris.